65. 2

AElia Lælia Criſpis.

EPITAPHIVM ANTIQVVM.

quod in agro Bononienſi adhuc uidetur;
à diuerſis hactenus interpretatum
uariè: nouiſsimè autem à
Ricardo Vito Ba-
ſinſtochio, a-
micorum
precibus explicatum.

M. T. C. LIB. I. TVSCV. Q.

Quid ipſa ſepulchrorum monimenta, quid elogia ſignificant, niſi nos futura etiam cogitare?

Commentar. Chimic. in hoc idem epitaphium extat vol. 3. pag. 785. Thesauri Chemici

PATAVII.

Apud Laurentium Paſquatum.

MDLXVIII.

DOCTISSIMO PHILOSOPHO.

CHRISTOPHORO IONSONI Vicamenſis ſcholæ apud Vintoniam ſummo moderatori.

Ricardus Vitus S. D.

CVM Hæc à me de Criſpi notata in manus hominum, quod initio nôn putaueram exirent: quod de Aeſopo ſcripſit Maximus Planudes, id mihi Chriſtophore Iōſon, uidebatur accidiſſe. Hic .n. cum Zantho Philoſopho, ac hero ſuo inter monimenta ambulans, inq́; arca quadam uidens inſculptas literas α. β. δ. ο. ε. θ. χ. cum eas Zanthus non intelligeret, ſtipulatus ab eo præmium libertatis, & rei, quæ inueniri poſſet, dimidium; promiſit ſe Theſaurum eo loco inuenturum. quem quatuor inde pedes fodiendo repperit. Philoſophus rei nouitatem admiratus; niſi prius ſenſum quoq; literarum (qui ſibi precioſior auro foret) explicaret; Aeſopo negat ſe partem theſauri daturum. Et ille legens, ἀποβὰς, βήματα τέσσαρα ὀρύξας εὑρήσεις θησαυρὸν χρυσίου; partem ſibi eius dimidiam petiit. Quam adhuc negante Zantho, renunciaturum ſe Regi Byzantiorum affirmauit, cui repoſitum illud aurum, reconditumq́; erat. Dici enim in literis, ἀπόδοτε βασιλεῖ Διονυσίῳ ὃν εὕρετε θησαυρὸν χρυσίου. Commotus hic Zanthus, & potentiam ueritus Regis, partem dat. Tum Aeſo-

pus, Non tu mihi nunc hoc donas Zanthe, inquit: ſed is, qui theſaurum hic defodit. ait enim; ἀνελόμενοι βαδίσαντες διέλεσθε ὃν εὕρετε θησαυρὸν χρυσίου. Ita Vir acutus eaſdem literas, primò, ut oſtenderent Theſaurum; deinde, cui is tradendus; demum quo pacto diuidendus foret, neceſſitate quadam impulſus, ter & uariè interpretatus eſt. Quo magis mihi fauere debes & tu, Chriſtophore Ionſon & quicunque hæc noſtra lecturus eſt; ſi deſtitutus aliquandiu ueritate huius Epitaphii (quod ubi reperiatur ex epiſtola Turrii ſuo loco apparebit) illud non tam uariè, quā ter interpretatus ſum. Nam cum Epitaphium Ideæ putem eſſe, quam ideā introduxit Plato & Academici defendunt; quamq; eius auditor Ariſtoteles reiecit, & tota familia Peripateticorum; à Niobe id eſt, homine exteriore, quem in uita communi Ariſtoteles eſſe dicit; ad Animam id eſt, hominem interiorem procedo: qui ſolus homo iudicatur. Non enim tu is es, quem forma iſta declarat, inquit apud Ciceronem Africanus. Sed mens cuiuſque is eſt quiſque, non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt. Ob eamq; cauſam ab illa Anima cum corporib. permiſta, ad hanc abſtractam mentem, ſeu potius ad totius hominis Veram Ideam accedo. quam quidem Plato non tam diuinitus inuenit, quam conſtituit ſapienter. Hanc Aeliani à nobilib. Romanis, propter nobilitatem, honoremq; Platonis. hanc Læliam, propter amicitiam Ariſtotelis, cum Platone. hanc Criſpim, quod ex iis hominibus qui ſunt ſinguli, contracta, quaſiq; conuoluta in mentem ac intelligentiam reponatur, appellari ſuſpicor. Quam Lucius, id eſt, homo is, qui luce uidetur oculorum. quam Agatho, id eſt, bonus ille fautor ueritatis potius, quam amicitiæ Platonis; quam Priſcius, id eſt, homo ille, qui ſecundum Ariſtoteleum ἀξίωμα, prius erat in ſenſu, quam in intellectu, ſepeliendam curauit. A' quo homine & ipſe, ut iam dixi proficiſcens, ad Ideæ celſitatem aſcendi. Quod tu mecum facies Chriſtophore Ionſon,

mecunq; ibi manebis, nec exiſtimabis ideam hanc, penitus ſepultam eſſe, quæ de Animorum dignitate, atque immortalitate, rectè ſentire docet. Plæclarum eſt enim, quod ſcripſit Auguſtinus, Platonicos ueros, niſi nomine ſolum, uix ulla re alia differre à Chriſtianis. Hæc de ordine huius libelli paucis præfari uolui, quod eum mihi bonus caſus obtulerit, & Epitaphii ueritas deſcripta a Turrio, quam ego ueritatem, fictæ a Mediolanenſibus compoſitioni ænigmatis præferre, uel ipſius Antiquitatis cauſa iuſtum putaui, dum libellum aliter quàm Marius inſcribo. De meis uerò quæ primum hîc, ut de Aenigmate dicuntur, quoniam tunc aliud non compereram, nihil mutaui, ut haberent quoque Mediolanenſes, quod in cauſa ſua dictum ſit. Quam quidem Narrationem meam Chriſtophore Ionſon, ad te propterea mitto, quod audierim duas illas orationes, quas ego Louanii habui, unam περὶ τῆς ἐγκυκλοπαιδείας; alteram De laudib. Ciceronis, & Eloquentiæ; Londini iam aliquot annos tua cura diuulgatas, tuoq; iuſſu Vintoniæ publicè eſſe lectas. Rem ſanè miram: & quæ ueteris amicitiæ noſtræ nimis apertum habet teſtimonium. Mihi certè homini ab officinis Typographorū ſemper alieno, eum nunc animum dedit, ut amicis hoc à me iam diu poſtulantibus, noſtræ in Criſpim coniecturæ editionem non denegauerim. Tu uerò, qui ſoles Meas aliquid putare nugas, ut ille Poeta dixit, iudicabis, maluiſſe me otioſum eſſe, cum hæc facerem, quàm, quod aiunt nihil agere. Vale. Patauii IX. Cal. Decembres 1567.

AD RICARDVM VÏTVM

I. V. DOCTOREM. FRANCISCVS

Pancera Foroiulienſis Zoppulæ Dominus

αἰνιγματικῶς.

QVI Magne ò Ricarde colit te pectore toto,
Euulſis caudis has tibi donat Aues.

Aliud eiuſdem.

Non nemus Hæmi, non undas Heliconis; at ipſum
Signiferum potuit linquere Apollò polum:
Vt foret ille tui fautor; ne inuita Sororum
Fronde tibi ſacra cingeret ulla caput.

Adrianus Vanderburchus Flander:

Aelia quænam eſſet, quæ Lælia; nouerat antè
Nemo, ſed obſcuris nomina rebus erant.
Quæq; legebantur nodoſi ænigmatis inſtar,
Qui rectè potuit ſoluere nemo fuit.
Tu modo Vite horum nobis arcana recludis,
Ingeniiq; facis lumine clara tui.
Certè quiſquis is eſt, illorum incognitus auctor,
mentem hanc ſi poſſet, diceret eſſe ſuam.
Pro domino tamen hos res ipſa & uerba loquuntur.
Admotaq; magis iam ſibi luce placent.

Aliud.

Criſpis ego ex Homine in ſaxum mutata receſſi.
Inq; hominem e Saxo, Vite redire facis.
Quumq; mari rurſus Marius ſubmerſit, ab undis
Extrahis, & renouas Deucalionis opus.

T. Euenus. ἀδήλως.

Elatam Nioben Phœbus Phœbeq; repreſſit.
Quoq; ſuperbierat, pœna ſeuera fuit:
Sic elatum Hominem rebus priuabit opimis;
Et quo delinquit, puniet ira Dei.
Eſto Humilis, ſi ſummus eris: Submiſſio tollit.
Inq; ſolo Cælum quærere tuta uia eſt.

COPIA DELLA LETTERA AL REVEREN diſſimo Cardinale di Trento mandata in fede dell'enigma per lo eccellente dottore M. Antonio Catharo.

ILluſtriſſimo Prencipe, & Reuerendiſſimo monſignor Cardinale di Trento S. Con libero animo io mi ſono moſſo à ſcri uere à V. S. R. eſſendomi hora per benignità de Cieli data honeſtiſſima occaſione di far paleſe à quella la mia ſeruitu co'l mezzo della uirtu di M. Mario, humil ſeruo lui anchora di V. S. R. alqual (conoſcendo quanto egli ſia dotto) detti non ſono molti giorni anchora un'enigma antiquiſſimo, ingenioſo, & pieno di molta eruditione da eſporre, mandatomi dalli academici di Milano per hauerne non il giudicio mio, che è debole, & poco; ma di qual che letterato, non hauendo niuno di loro, ne altri ancora (per dotti che ſiano ſtati) potuto ritrouarli ſenſo, che ſe li quadraſſe; il quale tanto dottamente lo hà eſpoſto, che li più dotti di queſta Città ſene ſono infinitamente marauigliati. la qual, eſpoſitione hauendo eſſo M. Mario con ſecrata à V. S. R. come quella, che non ama ſe non uirtu ò quello honeſto, che di uirtu fuori fiorir uede, m'ha pregato, che farne fede appo lei ne uoleſs'io, di quanto gia le ho detto. il che à fare uolontieri mi ſon eſpoſto; ſi per fare coſa grata ad uno mio tanto amico, come per far paleſe à V. S. R. la ſeruitu, ch'io (quantunque indegno ſeruo le ſia) gia molt'anni le ho portato, porto, & portarò mentre, ch'io uiua ſupplicando'l noſtro Signor Iddio, dalla cui uolontà creder ſi dee, che tutto queſto auenuto ſia, che tanto della ſua gratia mi doni; che io (qual'io mi ſia) poſſa ſi come ſpero, farmi conoſcere fedele, & amoreuoliſſimo ſeruo uerſo V. S. R. Qual Dio longamente ſana, & nella ſua gratia coſerui. Da Padoua il giorno primo di Nouembre. 1547.

Di V. S. R.

Humil ſeruo Antonio Catharo. I, V. D.

HOC EST ÆNIGMA
tantæ uirtutis, tantæq́;
ſapientiæ.

AM. PP. D.

Ælia Lelia Criſpis neque uir, neque fœmina, neque androgyna, neque iuuenis, neque anus, neque caſta, neque meretrix:

Sed omnia:

Neq; cœlo, neque terris, neque aquis: ſed ubiq́;

Iacet.

Sublata neque fero, neque fame, neq; ueneno:

Sed omnibus.

Lelia Criſpis aliàs in cauo acuto: neq; uir, neq;

Amator,

Neque flens, neque ridens ſcit, neſcit, cui

Poſuerit.

Hoc eſt ſepulchrum intus cadauer nõ habens:
Hoc eſt cadauer ſepulchrũ extra non habens:
Sed cadauer idem eſt, & ſepulchrum ſibi.

RICARDI VITI AD AENIGMA
Narratio de Niobe.

NON Sum neſcius multos fore, qui laborem meum in hoc ænigmate declarando uariè reprehendent. Nam quibusdam, & ijs prudentib. uiris ineptum planè uidebitur, adoleſcentem me, qui maiora ſpectare, & ad ea rectis ſtudiis debeam contendere, in re tam parua, & inutili fuiſſe occupatum. Quidam exercitationem fortaſſe laudabunt orationis, ac ſtyli, ſed non in ænigmatis explicandis. Erunt etiam, nec illi quidem indocti, quibus hoc totum Antiquitatis, & obſcuritatis diſplicebit. Quibus omnibus reſpondeo; me nec Antiquarium, ut quædam ſolus ſcire; nec Oedipum, ut ænigmata ſoluere uidear, exiſtimari uelle. Hoc autem ſcriptum, licet uerbis paruum, re tamen uera magnum eſſe: neque quòd obſcurum ſit idcirco tanquã inutile reijciendum. Quid enim poteſt eſſe iniquius? cum Difficilia ſint, quæ pulchra, ipſaq; indagatio rerum tum maximarum, tum etiam occultisſimarum, habeat oblectationem. At ænigmatis expoſitio incerta eſt. Num magis, quam illa, An Sol decempes ſit? & hanc tamen quæſtionem ipſam in Academicis Cicero, exterminandam non putat. Eſt enim, inquit, animorum, ingeniorumq; naturale quoddam quaſi pabulum conſideratio, contemplatioq; naturæ. Quæret igitur hæc & Vir ſapiens, præclareq; agi ſecum putet, ſi in huiuſmodi rebus uerisſimile quod ſit, inuenerit. maximè cum dicatur, Hoc eſſe ænigma tantæ Virtutis tantæq; Sapientiæ. uirtutis quidem, quia contra ſuperbiam Niobes; Sapientiæ uerò quoniam de dignitate Animæ intelligitur. at illud certè, re ipſa hic fit; hoc autem ex quadam rei ſignificatione. Nam in ænigmatis puto illam eſſe naturã, ut res quodammodo rebus ſignificentur; cum αἰνίττεσθαι Græci dicant eos, qui loquuntur obſcurè, & unam rem nominantes, aliam intelligunt. Quod Rhetores aiunt feciſſe Ciceronem in Sex. Roſcii defenſione, ubi contra Erucium, Te inquit, pugna Cannenſis accuſatorem ſat bonum facit. Multos caſos non ad Thraſimenum lacum, ſed ad Seruilium uidimus. & cætera, quæ ſequuntur, allegoricè ſignificant, Erucium, & reliquos accuſatores, non tam

Lib. 2.

cauſis, quàm temporum iniquitate fretos, poſt Syllanam uictoriam multos condemnaſſe. per pugnam ergo Cannenſem ciuile bellum intelligit. Cum itaque ſint in hoc ænigmate, ut iam dixi, duo; Res, quæ narratione, & Significatio, quæ interpretatione explicatur: Eſt quidem Narratio, definita à Cicerone, Rerum geſtarum, aut perinde ut geſtarum expoſitio. Interpretatio autem, coniectura, & iudicium. Narrabo primum, deinde interpretabor.

lib. 1. de Ora.

Raphael igitur Regius in ſuis enarrationibus ad Metamorphoſis Ouidij ſcribit fabulam de conuerſione Niobes in ſaxum, idcirco fictam eſſe, quòd hac in liberorum ſepulchro, ſibi lapideam ſtatuam ipſa erexerat. Ad quam ſtatuam hoc, de quo agimus; (non initiò quidem ænigma, nunc autem ſic appellatum propter ipſius antiquitatem, & obſcuritatem) appenſum, & ſcriptum ab Agathio fuit. aut ſi ſcriptum ibi certò non fuit, tamen adſcriptum eſſe potuit. quod ideo dico, non quaſi putem Agathium Scholaſticum iſtud feciſſe, (cum infrà, Elogium ſolum, eius eſſe affirmem) ſed, quia huius ænigmatis ſcriptor, quicunque fuit, perſonam illius ſuſtinuerit, idq; eſt ſatis ad Narrationem, quæ, ut dixi, non ſemper rem geſtam, ſed aliquando perinde ut geri potuerit, exponit.

AM. &c.

Itaq; quinque illos characteres AM. PP. D. ſic lego Academici Mediolanenſes Philoſophis Patauinis Donant. hoc ſcilicet ænigma explicandum. Miſſum enim ab illis Viris ad hoc celeberrimum Gymnaſium fuit, ut aliquod ueræ intelligentiæ lumen aſſequeretur, & expoſitum quidem omnibus ſapientiæ profeſſoribus: ut in epiſtola ad Chriſtophorum Madrutium Cardinalem Tridentinum teſtatur Marius Michael angelus. qui de Aqua pluuia id interpretatus eſt. ſanè quidem alienè. nec enim debeo quicquã; in illum durius dicere, cum hoc poſitum ſit totum in coniecturis.

Videndum ergo nobis eſt, quidnam ſit illud, quod hic dicitur Elia Lelia Criſpis. *Et exiſtimo Nioben iam transformatam intelligi. quæ non nominatur, quòd iam eſſet odioſa:*

Elia Lelia &c.

Vulgus enim extinctum cum ſtirpe Amphiona luget.

Mater in inuidia eſt. & ibi rationem apud Ouidium notans Regius, quia ſuperbia ſua, mortis, inquit, liberorum cauſa fuerat. Nam cum ex Amphione Thebarum Rege ſeptem filios, & tot fi-

lias

lias ſuſcepiſſet; iãq; Vates fatidica Manto Thebanos admonuiſſet, ſacrificium Latonæ ut offerrent; tali iuſſu commota Niobe, ſeq; Latonæ cum alias ob cauſas, tum præcipuè liberorum numero præferendam contendens, prohibuit, Nequis ei in Regno ſuo ſacrificaret. Quod indignè ferens Latona, Apollinem & Dianam rogauit, ne ſe ipſorum matrem iniuria tanta affici paterentur. Qui ſtatim aſſumptis in manum arcubus & ſagittis, ut Poeta fabulatur. primo filios omnes interemerũt. id quod cum Ampihon pater ferre non poterat, doloris magnitudine ſe ipſe interfecit. Niobe uerò tanta clade magis furere cæpit, ut iam ne maledictis quidem in Deos ſe abſtineret. quo effecit, ut ſeptem filias quoque pari calamitate confectas uideret. Vnde nũc Elia *dicitur ἀπὸ τοῦ ἡλίου qui Grecè ſol, & Appollo eſt. ac* Lelia *à Luna quæ Diana nominatur. Luna enim ab* Elio, Lelia, *ſicut à Phœbo Phœbe idcirco appellatur, quòd acceſſu & receſſu ſuo lumẽ Solis accipiat, quòdq; eodem ſimul tempore cum eo naſceretur. Geminorũ enim, par eſt, & æquum, ut gemina ſit, aut ſimilis appellatio. Ac litera quidẽ L. de Latonæ matris trãslata, in* Leliæ *filiæ nomine, mulicbri quadã indulgentia præponitur: ut mas quidẽ Apollo, aſperè* Helius, *fœmina uerò Diana liquidè uocetur* Lelia: *ab eiſq; uindictam Latonæ perpeſſa Niobe non per πλεονασμὸν ut, inquit Marius, ſed quoniam uterque uindex erat, ab utroq;* Helia Lelia *periphraſticè nominetur; &* Criſpis *quoque. quam tamen hodie criſpam diceremus. ſed ad maiorem, credo, obſcuritatem uerbum fortaſſe priſcum adiicitur. Eſt autem Criſpa, ea fœmina quæ intortos crines habet. qui ſic fiunt calamiſtro, quod calefactum in cinere capillos ornat. Ergo Nioben*Criſpim *ſimiliter uocat, ut Cicero criſpiſulcans igneum fulmen, quod in Aiacis nauim iniectum eſt, uel ironicè, quia nunc irarum ardor pulchritudinem minuerat; de quo Ouidius, Et quantum ira ſinit, formoſa: Vel quòd dolore contracta, quaſiq; in ſe ipſam intorta fuiſſet. Vnde apud Ouidium ipſa de ſe, per funera inquit, ſeptem Efferor. Quaſi diceret funeribus ſeptem filiorum, & ſe ipſam duci ad ſepulturam, ſagittiſq; Dianæ, & Apollinis, ſe infelicem matrem confoſſam eſſe. Cuius mehercule metamorphoſis effecit, ut iam*

in topicis.

neq; uir Neque Vir, neque fœmina, neque androgyna *rectè dici poſ-*
neq; fœ *ſit* . non Vir, *qui nunquam fuit, nata præſertim fœmina*. Neq;
mina &c. fœmina, *quæ tametſi fuit, tamen nunc facta lapis, diutius non*
eſt. Neque androgyna, *id eſt, mas & fœmina. quia non eſt iam amplius Homo, in quo reperiuntur ambæ ſexus differentiæ. Atque ſi iam amplius Homo non eſt, ſequitur, ut* Neque iuuenis, neque anus *ſit, quæ ſunt extremæ Hominis ætates.*

Quòd ſi autem Neque iuuenis, neque anus *eſt, certè* Neque caſta, neque meretrix *erit. Nam in iuuene libido maximè dominatur, in anu morum honeſtas uiget, idq; propter ipſam ætatē ut ferè credatur,* Neque iuuenis caſta, neque anus meretrix. *Hinc Poeta neſcio quis.*

citat add. *Militat in teneris annis Amor hoſpes amænus.*
ad glo. *Eſt in canicie ridiculoſa Venus.* Sed omnia, *inquit*
bacchata *eſt. quæ affirmatio, non ad uniuerſa, quæ ubiq; ſunt, ſed ad ea tan-*
iſt. de ſuc *tum, quæ præceſſerunt, refertur. cum non ſit nouum, ut ſpecia-*
ceſſ. ſub- *liter quibuſdam enumeratis, generale ſubiiciatur uerbum, quod*
latis: *ſpecialia complectatur, ut ait Celſus, & in Pandectis refert Vl-*
ad l. A ſ *pianus. Ergo cum à remotione ſimilium, quid non ſit potius, quā*
qui. l. ſi *quid eſſet hic ſubiectum, fuerit hactenus declaratum. cumq; fa-*
ſer. §. cū *cilius indicetur infinitè, ac negatiuè multa dicere, quàm pauca*
eo: *uerè affirmare, quod eſt in ænigmatis frequens, utitur poſt negationes breui affirmatione. ſic & M. Tullius in loco, de quo ante, Multos cæſos non ad Thraſimenum lacum, ſed ad Seruilium uidimus, quæ affirmatio latentem in prioribus uerbis obſcuritatem paulalum remouit. Quatenus igitur Niobe tanquam patronymicè, & per infelicem adoptionem ab Apolline, & Diana* Helia Lelia *dicitur, ab illo,* Vir; *ab hac,* Fœmina; *ab utroque* Androgyna: *ab illo,* iuuenis; *ab hac* anus, *ſed moribus quidem, non etiam ætate. ſicut ab hac,* caſta; *ab illo,* meretrix *non ineptè uocetur. cum Dianæ caſtitas, & Apollinis amores à Poetis*
neq; cœ *celebrentur. Nunc de loco conſiderandum, ubi ſit hoc, quod*
lo. neq; Neque Cœlo, neque terris, neque aquis iacet. *Nam ut in*
terris &c. *ſtatua præſens eſt Niobe, non iacet; cum ſtatua à ſtando nominetur. qui autem ſtat, non iacet, quia cadere poteſt, quod iacens*

non

non poteſt. unde facetè quodam loco, niſi fallor Ouidius, Qui iacet in terra, inquit, non habet unde cadat. In hac autem tota loci abnegatione, uidetur inuidiosè alludi ad illud dictum à Niobe contra Latonam.

Nec Cœlo, nec humo, nec aquis Dea ueſtra recepta eſt.

Vt iam Niobe quatenus ſtatua, Neque Cœlo, neque terris, neque aquis; ſed quatenus lapis, Vbique iaceat. cum lapis deorſum feratur naturâ, nec uſquam ſiſtat, niſi ubi ſolum inuenerit. Sicut ergo ſuprà in genere hominis quis Niobe fuerit diximus, ita nunc in genere lapidis, qualis illa eſt facta, quibus in locis ſit, declaremus. Ac primum quidem Liuius ſcribit, lib. i. in monte Albano lapidibus pluiſſe. Quod cum credi uix poſſet miſſis ad id uiſendum prodigium, in conſpectu, inquit, haud aliter, quàm cum grandinem uenti glomeratam in terras agunt, crebri cecidere cælo lapides. id quod Philoſophi ij qui Meteorologici dicuntur, ratione fieri probant: ut hodie deriſus ſit, qui lapidem de Cælo cadere uidens, Cælum ipſum affirmauit eſſe lapideum. Hactenus ergo Niobe iam lapis, in Cœlo iacet, quatenus ibi quandam naturam habet. cum iacere ſit maximè naturalis quietis, quæ cuique rei in ſua potiſſimum eſſentia eſt. Iam uerò quod ad terram attinet, cum ea ſit grauis, nulli dubium eſt, quin natura quadam ſimilitudine lapides contineat. præſertim cum Papinia- ſoluto nus in Gallia & in Aſia non ſolum lapides naſci ex terra, ſed etiã matrimo ſi cæſi ſunt iterum renaſci dixerit. Itaq; propriè in terris Niobe l. ſi diuor iacet propter ſaxi pondus, quod in ſe nunc habet: Quin etiam tio. §. ſi in aquis quoque, cum ibi non tam lapides & pretioſi, & uiles uir. quam ſcopuli, ac quidam quaſi lapidum montes reperiantur. Vt nihil dicam hoc loco de marmore Siphyleno, quod ſudare perhibetur, ob eamq; cauſam in illud Niobe conuerſa fingitur, ut Regius notat apud Ouidium de Niobe iam mutata ſic ſcribentem

Flet tamen, & ualidi circundata turbine uenti
In patriam rapta eſt: ubi fixa cacumine montis
Liquitur, & lachrymis etiam nunc marmora manant.

Reſtat, ut quomodo hæc obierit oſtendamus, quæ fuit ſublata ſublata neque ferro, neque fame neque ueneno. Atque cum his tri- neq; ferro &c. bus modis uita hominibus aufertur, quoties ea per uim aufertur,

certè

certè Niobe non aliqua ui, ſed ſponte moriens, ſolum ex dolore ſublata eſt. *Nam pater Amphion ferro per pectus adacto*

Finierat moriens pariter cum luce dolorem. *Et hoc quidem poſt mortem ſeptem, filiorum, quibus pater orbus ſuperſtes eſſe noluit, quanquam mater uoluit, filiarum uita ſe quodammodo conſolans. iiſq; etiam ſuperbiens, & elata.*

Paſcere crudelis noſtro Latona dolore,
Paſcere ait, ſatiaq; meo tua pectora luctu.
Corq; ferum ſatura. Victrixq; inimica triumpha.
Cur autem uictrix? miſera mihi plura ſuperſunt,
Quàm tibi felici, poſt tot quoq; funera uinco.

Qua uerborum arrogantia atque inſolentia perfecit, ut tunc quoque præſente ipſa, atque amplexante filiæ omnes transfigerentur, mortuæq; caderent e manibus quod ſtatim uidens dolore, & lachrymis uitam finiuit, non ferro, non fame, non ueneno. ſed *iſtis* omnibus. *hoc eſt, dolore. qui tametſi nullum horum uerè eſt, tamen inſtar omnium habet. Etenim dolor, cum ſit, ut Cicero in Tuſcula-*
lib. 2. *nis quæſtionibus definit, motus aſper in corpore à ſenſibus alienus, cor tanquam* ferrum *uulnerat. Quippe de dolore Mariæ Virginis ſcribitur. Tuam ipſius animam gladius pertranſibit.*
Luc. 2. *Tum & ſicut* fames, *corpus lentè conſumit. Scriptũ eſt.n. ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. Poſtremo, ut* uenenum *multos occultè necat, qui concepto ex re aliqua graui dolore, cor exedi ſibi patientur potius, quàm unum uerbum, cauſamùe ullam triſtitiæ tantæ proloquentur. ut non malè Varro mæſtum à marcendo dictum putauerit, quòd mœrore corpus marceſcat; & rectè Niobe dolore mortua,* ferro, fame & ueneno ſublata *uideatur.*

Lelia Criſpis alias &c. citat Ritualius lib. 2. hiſt. natur.

Poſtquam autem intelleximus, & Rem ſubiectam huic ænigmati, quænam illa ſit, & locum in quo maneat, ac modum quo interijt; reliquum eſt, ut quis hoc monumentum inſcriptionis fieri curauerit, uideamus. ſi tamen prius dixero morem antiquis obſeruatum, ut per interualla mortui conclamarentur, quòd uitalis ſpiritus, ut Plinius ait, plerumque excluſus putaretur, & homines fallere ſoleret. Hoc in exequijs Miſeni apud Vergilium legimus, hoc in Nobiliſſimorum hominum funeribus, & pom-

pis

pis fieri ſolitum eſſe audiuimus, hoc in hoc loco factum ab authore credimus, cum ait: Lelia Criſpis aliàs in cauo acuto. Nam quòd ſuſpicari non nemo poſſet, quenquam alium hic Criſpis nomine intelligi, mihi quidem certè uidetur alienum. Cur enim fuiſſe aliàs in cauo diceret, niſi eam prorſus ipſam hic intelligeret? Clamat autem Nioben mortuam hic, non quidem nomine proprio, quod, ut dixi, fuit odioſum. non etiam Eliæ, quod prius habuit à Sole. ſed ad inuidiam Dianæ, quæ ſaltem fœmina parcere fœminæ debuiſſet, Lelia inquit, Criſpis aliàs, id eſt, ante quidem, ob mortem filiorum iu cauo acuto, ut non accederet noua crudelitas Dianæ in ſeptem uirginum interfectione. Nam ita fabulæ argumentum narrat Lactantius, ut Dianam affirmet ſolã, filias Niobes occidiſſe. quod non erat neceſſe, facere ſolam; cum antea ſimul cum Apolline filios peremiſſet. quorum ſtrage mater in cauo acuto & quaſi iam exciſo ſepulchro poſita ſibi uidebatur: tantus erat enim, tamq; altè conceptus animo dolor, ut exclamaret, per funera ſeptem Efferor. quaſi iam amplius non uiua, ſed ſubitò funus effecta foret. Ergo priuſquam Elogium affigit, eſſet'ne mortua Niobe, uel adhuc in lapidem conuerſa ſota, quaſi dubitans, conclamat ipſam, & appellando dedicationem facit Agathius, aut quiſquis fuit. Lelia inquit, Criſpis aliàs in cauo acuto. Ille qui tibi eſt neque Vir, neque amator, & in his nunc miſeriis neque flens, neque ridens, ſcit, neſcit, cui poſuerit. quaſi diceret, Ego rei nouitate ſtupefactus neſcio cui poſuerim. Loquitur enim de ſe, ipſe perſona tertij, more ueterum, & ætatis noſtræ. nam uidemus hodie amicos amicis iſto modo loquendi ſepulchra inſcribere. non uir dixit, quia neque uir uerè fuit. etenim uir Amphion ſe iam ipſe interfecerat. neque amator ſuperbæ mulieris, quæ ſe fecit ſua inſolentia Diis & hominib. ingratam. cumq; Agathius ipſa nominis interpretatione Vir bonus diceretur καὶ ὁ μὲν ἀγαθὸς ὁμιλεῖ τοῖς ἀγάθοις; quia tales ferè ſumus, quales ſunt ij, quibuſcum uiuimus, & oblectamur; committere noluit, ut improbæ fœminæ amator eſſet. neque flens, quia pœna fuit iuſta, nec alia quàm, Quæ uenit indignè pœna dolenda uenit. neque ridens tamen, quoniam humanum eſt humanis

caſibus

caſibus ingemiſcere, non inſultare. ſcit *quatenus hic corpus Niobes fuit:* neſcit, *quatenus id amplius non eſt, ſed in lapidem mutatur,* cui poſuerit *hoc monimentum inſcriptionis, aut Elogium, quod ſequitur.*

Hoc eſt ſepulchrum intus cadauer non habens.
Hoc eſt cadauer ſepulchrum extrà non habens.
Sed cadauer idem eſt, & ſepulchrum ſibi.

Quæ eſt Latina interpretatio ex uerbis, ſed non numeris totidem uerſuum Ἀγαθίου τοῦ σχολαστικοῦ εἰς Νιόβην *inſcriptorum, Sicut in antiquis ueterum Græcorum epigrammatis leguntur.*

ὁ τύμβος οὗτος, ἔνδον οὐκ ἔχει νεκρόν.
ὁ νεκρὸς οὗτος, ἐκτὸς οὐκ ἔχει τάφον·
ἀλλ' αὐτὸς αὑτοῦ νεκρός ἐστι, καὶ τάφος.

Quos ego Iambos cum eſſem Louanij, Latinos à multis factos legi ſed in eis aliquid deſideraui. Paribus ergo trimetris reddidi, uoluiq; ut ſit Græcè, ſic quodammodo alludere Latinè.

Hoc eſt ſepulchrum, nec ſepultum continens.
Hic eſt ſepultus, nec ſepulchro conditus.
Verùm ſepultus hic, ſepulchrum ſit ſibi.

Ex quibus uerſibus ingenuè fateor, me totius huius ænigmatis coniecturam feciſſe. qui cum de Niobe ſcribuntur, ut iam dixi, ſimiliter eſſe intelligenda ſuperiora putaui. in quo ſi quid erro, attamen non abſque auctoritate. Quis autem in re tam dubia, & obſcura, quicquam certi affirmet? Mihi uerò maximè probabile uidetur, hoc Elogium eiuſdem prorſus eſſe argumenti, & intellectus cum inſcriptione tota debere. Cuius quidem Elogij partes priuſquam lib. de co*ad Narationem accommodo, referam diſtichon, quod de Hya*loribus ca. *cintho in florem commutato pariter fecit Antonius Thyleſius.*
6.

Nil opus Elogio redimire, aut Flore ſepulchrum.
Ipſe ſibi Flos eſt, Elogiumq; puer.

Nam ſicut hic Elogium, intelliguntur duæ literæ Græcæ αἰ, *quæ fletum, eiulatumq; indicant, & in flore figurabantur ab Apolline; is enim fuit auctor honoris, (ut ait Ouidius) Ipſe ſuos gemitus folijs inſcripſit, &* αἰ. *Flos habet inſcriptum: Sic in elogio Niobes eum inquit.* hoc eſt ſepulchrum. *accipimus quia ſaxum eſt, ex*

quo

quo ſepulchra ſiunt. ita nauigium ex integro ligno factum μονό-ξυλον Græci uocant. intus cadauer non habens. *quoniam, ut ait Ouidius, intra quoque uiſcera ſaxum eſt, nec ipſum concauũ carnem & oſſa, ut cadauer habet.* Hoc eſt cadauer *opinione hominum, & iudicio uulgi. quia corpus mortuæ Niobes eſt.* ſepulchrum extra non habens, *quoniam quæ totius corporis extremitas fuit, eadem mutata nunc in lapidem, partes reliquas ut antè continet.* ſed cadauer idem eſt, & ſepulchrum ſibi. *cum omnes partes, quæ corporeæ erant, iam factæ ſint ſaxeæ, ſitumq́; priſtinum obtinentes, eadem prorſus ſymmetria contineantur, & idem continens, ac contentum ſit, una conuexitate aeris comprehenſum, exq́; uno, & eodem corpore, unum, idemq́; ſaxum mirabiliter efficiatur.*

FELICISSIMO PRINCIPI,

AC CELEBERRIMO CARDINALI. R. in Chriſto P. D. D. Chriſtophoro Madrutio. Humilis ſeruus Marius Michaelangelus æternam ſalutem, & ſeipſum.

Miſſum hoc fuit ænigma, ſapientiſſime Princeps, ad celeberrimum Gymnaſium Patauinũ, ſi forte aliquod ueræ intelligẽtiæ lumen aſſequi poſſet. quod quidem exponendum omnibus ſapientiæ profeſſoribus, quando mihi etiam, uni uerò eorum minimò, ex animo liberali illius Iuriſconſulti optimi, uiriq́; integerrimi Antonii cognomento Catharo oblatum uidi, non parum ſubſtiti. cuius fidei primo commiſſum ab illis Academicis Mediolanenſibus, uiris quidem doctiſſimis iam fuit, ut hoc negocium cum omnibus præclarè ageret, quantum ipſe ſperaret, ſi quam ſuo termino perſpicuam, ac ueram expoſitionem inter omnes

accommodaret. Quod quidem certè accuratisſimè egit; ſed poſteaquam hoc ſæpius perſpexi, tum demum iudicaui labore dignisſimum, & ſummo ſtudio eſſe amplexandum. Quocirca ſi profectò mihi euenire posſit, ut quantumcunque posſim in eo quoque laborare, laborem, ſtudiumq; meum his ſapientisſimis uiris eſſet gratisſimum, quod pariter tuæ ſummæ dignitati, & ſapientiæ iucundisſimum fore exiſtimaui, quemadmodum ab eo profectum qui ex familiaribus tuis intimis atque percharis perpetuo extitiſſem. ad te igitur Principem ſuauisſimum has meas uigilias mitto, tuisq; charis, ac familiaribus exhibeas oro, ut animum eorum, & intellectum ſi quid boni, ac optimi in me fuiſſe uiderint, ſibi amicisſimo gratulentur, & tuæ præclarisſimæ amplitudini gratiam immortalem habeant. Id libenter itaq; accipias, & tua ſumma uirtute non modo tuearis, uerum etiam foueas obteſtamur. quoniam habes intellectum, qui ſcit omnia à Deo eſſe, & ad Deum omnia referre, cuius motus eſt eius uoluntas diuini luminis ardens, quod dat huic homini ueram ambulandi lucem, quæ lux eſt Chriſtus dicens: Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris, per quam ueram lucem nos philoſophando ſcimus animum imprimis purgari, & ad Dei contemplationem, atque cultum diuinum ſūma cum pietate reduci. Vnde Deum colimus & cauſam cauſarum inuentam ueueramur. Deinde uerè ſcimus animum purgatum eſſe, ut ſpeculum, in quo diuini uultus imago reluceat, & diuini ſpiritus inhabitent. Poſtremo autem nos uerè ſcimus tali uirtute, ac dignitate ornati, per ſingula ueſtigia Deum ipſum indagare, & ipſum per ipſum in huiuſmodi animi ſpecie cum noſtri cognitione inuenire: nec inuenire enim homo Deum uerè ſcit absque ſui ipſius cognitione. Quod diuinum hoc oraculum apud antiquos fuit maximum tum fidei, tum ſapientiæ, eſtq; etiamnum obſeruatisſimum apud uiros uerè religioſos. Quare hoc tantum unum uelim ſcias, Illuſtriſ-

habeant

ſime Princeps, & me omnibus uotis tuis, atque præceptis ſanctisſimis deditisſimum ſemper fore. I I I. idus Septembris. Pataui. M D X L V I I.

Satnrnus qui eſt ſeptimus ex nouem gradibus cæleſtium ſphærarum, quarum ſunt illæ nouem ſanctiſsimæ muſæ, ſecretiores infundit animæ humanæ intelligentias, tranquillasq; mentis contemplationes in ſanctisſimo Dei tandem myſterio. quæ excogitatio quidem fit per ænigmata, perq; diuinas imagines.

MARII MICHAELIS ANGELI AD AEnigma Expoſitio de Aqua pluuia.

.AM. .PP. D.

IN HIS quinque characteribus, ſapientisſime Princeps, uirtus totius ænigmatis cælatur, ideoq; enm qui ſcire uelit, lumen, & clauem habere oportet; lumen ad inueniendum, clauem ad aperiendum: lumen enim à Deo, clauem uerò ab intellectu petere operæprecium eſt, cui Deus natiuitatis ſuæ principio deſignauit in numero quinque talentorum, ut quinque ſuperlucrari debeat, quòd autem in dies hoc laborare minime deſiſto: quæ quidem ante omnem meum in eo ingreſſum religiosè feci, & dixi eſſe unum ex quatuor elementis in creaturis: quando omnes eius partes, cauſasq; perſpexi, & afflatus tanto lumine uidi pluuiam ex aqua maris eſſe, quod eſt elementum aquæ, quam Deus aridæ terræ parat, & ex abundantia ſuæ bonitatis pluit, &

ita aperui huiuſmodi intellectum dicens: Aquæ maris pluuiam pluit Deus, *qui operit Cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Pluit Deus, quando dixit, Ego dominus pluam ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: Pluit itaque Deus denique pluuiam ſuper terram, quia terra arida eſt, ut terra germinet herbam uirentem, faciens fructum iuxta genus ſuum ad producendum animam uirentem, iumenta, reptilia, & beſtias eius.*

Elia Lelia Criſpis, *Pro huius ænigmatis intelligentia, ac eius enucleandi cauſa pro uirili hunc figurandum tropum pluuiæ denique aſſignamus, quæ rectè dicitur* Helia Lelia *ideſt* ἡλιας *Græcè, quod patronymicum eſt ut filia ſolis. nam ſol Græcè* ἥλιος *appellatur, qui eſt omnium inferiorum pater, cuius calore ſoluta pluuia cadit ſuper terram, & omnium uegetabilium, ſenſibiliumq; corpora ſuo nutrit liquore, ac paſcit.*

Helia *cum aſpiratione ſcribi debet, ſed maioris ſpeculationis cauſa abſque H. ſcribitur ab ænigmatiſta.*

Helia Lelia *modus eſt dicendi, quæ ſuperabundantia latinè, græcè autem* πλεονασμὸς *dicitur, quæ eſt qualiſcunque geminatio, repetitio, & adiectio, uel .L. additur aut per agnominationem, aut per appoſitionem, quæ Comicis frequens eſt. Hæc* Helia Lelia *dicitur cognomento Criſpis, & rectè: quia proprium eſt pluuiæ in cadendo, quæ ſplendet, & uibrat: ideo rectè Criſpis.*

In conuiuiis apud antiquos ad exercendum eorum animum, ac animi recreationis gratia ſapientiſſime Princeps, ſolitum erat ad utranque partem plerunque aliquid arguere, ac diſſerere, ſiquidẽ omnia, quæ ſunt ſub Luna compoſita pariter eſſe, & non eſſe dicuntur. Unde præclariſſima ænigmata orta fuerunt, quæ diuini Philoſophi diuintus effundebant: ſicq; naturaliter etiam intelligi poteſt partim hoc ænigma eſſe uerè compoſitum, partim uerò diuinitus.

Neque uir neque fœmina &c. *Hoc eſſe pluuiam ſciat, qui pluuiæ definitionem, motus, actusq; ſuos nouit. nam pluuia ex terra, & maris halitu, atque uapore oriri dicitur, & terra, & aqua ſuper corpora, quæ ſunt ex quatuor elementis compoſita, habent.*

multum tum facultatis, tum uirtutis. Vnde Thales Mileſius ait: Aquam eſſe initium rerum omnium: Deum autem eam mentem eſſe, quæ ex aqua cuncta gigneret, hoc autem, quia aqua medium elementum eſt inter terram, & aerem, & utriuſque naturam habet, quoniam ex aqua oritur aer recto ordine, retrorſum autem terra. quorum uiciſsitudinem mundi ex continuata natura. nam recto ordine ex terra aqua, ex aqua oritur aer, ex aere ignis diuerſus ab alijs elemẽtis, ſecundum quoſdam philoſophos: Quod elementum ignis non datur. deinde retrorſum uiciſsim ex igne aer, ex aere aqua, ex aqua terra infima, & quia Deus eſt mens omnium, quæ ex aqua oritur, quemadmodum ille ſummus rerum omnium artifex mouens, & non motus, cauſa cauſarum primum exemplar: Qui corporibus infabricandis principio primam nudam materiam accipit, deinde elementa inſpeciem humorum producit: poſtremo humores in membrorum formas digerit, membriſq; addendo, nutriendi ſpeciem ſibi coniungit, & ſentiendi, & intelligendi. nam corporum naturalium ordo is eſt, ut deſcẽdat in primam materiam, & aſcendat in ultimam formam. Itaq; iam deuenire oportet unde digreſsi neceſſario ſumus. Quamobrem dicimus, quòd pluuia, *prout eſt ſimplex elementum, cum ſit poteſtate omnia, actu* neque uir, neque fœmina, nec androgyna *eſt: tamen* & uir, & foemina, & androgyna eſt, *ſicut eſt elementum animalibus compoſitum propter generationem. & pari ratione dicimus, quòd* neque iuuenis eſt, neque anus*: nihilominus eſt*, & iuuenis, & anus *ſecundum tempus. Quòd* neque caſta, neque meretrix *: tamen* quandoque caſta eſt, quandoque meretrix *ſecundum uarios eorum in animalibus affectus, paſsiones, ſtatuſq; ſuos. & eſt modus figurandi ſtudioſè dictus, cum à parte totum intelligitur. Ideoq; illud ipſum uerum eſt elementum, cuius quælibet pars eiuſdem generis eſt cum ipſo toto. nam ut aqua, quam uidemus, & potamus, ea uerè dici poteſt eſſe elementum aquæ: quoniam eiuſdem generis eſt cum ipſo toto: & ſic de alijs etiam.*

Neque coelo, neque terris, &c. *Hoc eſſe uidemus in pluuia, quando eſt in nube, nam dum in nube eſt,* non iacet in ae-

re; *& tamen iacet, cum aer humidus ſit, ut aqua. hic* cœlũ pro a ere *accipitur. &* non iacet in terris: *quia in nube eſt, nibilominus iacet, cum terra frigida ſit ad ſimilitudinem aquæ. &* non iacet in aquis, *hic ſtudioſè dixiſſe uidetur, cum ea ſit in nube. & tamen iacet: quia pluuia eſt pars elementi aquæ, & eiuſdem generis cum ipſo toto, quæ tanquam duobus brachiis terram, & aerem amplecti uidetur: nam frigido terram, aerem uerò humido: Quod autem iſtud ſit uerum, non intelligi, niſi de pluuiali aqua, eo loco percipi uerè poteſt, cum dictum non fuerit eam iacere, uel non iacere in igne; quoniam ignis calidus eſt, & ſiccus, aquæ contrarius, in quo nec humidi, nec frigidi aliquid eſſe poteſt, ut in eſt aquæ.*

Sublata neque ferro: &c. *Hoc etiam non latet eſſe pluuiæ, ut eſt elementum omnibus in animalibus, quæ mortem effugere non poſſunt* aut ferro, aut fame, aut ueneno. *nam homo animal haudſecus moritur. ac una horum trium; ideoq; pari ratione dicimus pluuiam, prout eſt elementum non emori: tamen cũ bis emori, ſecundum eiuſmodi animalis mortem, non autem eius mortem. quoniam elementum eſt prima pars corporis in compoſitione & ultima in reſolutione: ne hoc quàm mox intereat, quod in aliam naturam non conuertitur. omnis enim natura neceſſe eſt, quòd non ſolitaria ſit, neque ſimplex; ſed cum alio iuncta, atque connexa.*

Lelia Criſpis aliàs in cauo acuto &c. *Hanc obſcuram allegoriam tenent pluuiales aquæ in aliquã obſcuram foueam emerſæ; in qua ſtando ſtant, ut aqua uſui humano inutilis, cum ſit omnibus uiuentibus occulta.* Lelia criſpis *ideſt, pluuia uibrans aliterquàm erat in nube, ac eius proprio ſitu; ſtat nunc alio in loco aſpero, & duro, ut pluuiales aquæ, quæ ſunt in profundisſimis montium cauernis, ubi in his concluſæ ſtantes facilè corrupuntur.* Hæc Lelia ſcit, *dum illic ſtat,* non *eſſe* uirum *intelligentem* neque amatorem, *ideſt, nec ſenſum habere, nec appetitum deſiderabilem agendi,* nec flentem, nec ridentem, *ideſt, aliquas animi paſsiones non habere, quæ in duo diuiduntur, in dolorem ſcilicet, & gaudium,* & neſcit *ad quem peruenire posſit, ut ui-*

uat, aut uir, aut amator, aut flens, aut ridens: ſicq; plorans il lic ſtando, expectandoq;. uel etiam eo modo hæc Lelia Criſpis *illic ſtando* ſcit neſcit, *cui poſuerit:* ſcit *nunc quod* uir non *eſt pro homine ſciente*, neque amator *pro homine deſiderante ſenſibusq; ornato*, neque flens *pro paupere*, neque ridens *pro diuite*, *&* neſcit *cum illinc exierit, cui hæc Lelia potuerit eorum uita eſſe. ubi hic ænigmatiſtes denotat, ac exprimit quemlibet omniũ mortalium ſtatum.*

Hoc eſt ſepulchrum &c. *Hic quoque notandum* intus & extra *pro pluuiæ ingreſſu in eam foueam*, & *pro exitu ex ea, quando ad ſitum locum redit ſuum, nam cum aqua concluſa ſit aſpera fouea, corrumpitur, & è fecibus ſuis fouea demiſſa pro tempore per anguſtos terræ porrimeatus, tranſit ad mare, ſitum ſuum, & è fecibus uapores, & è uaporibus fiunt pluuiæ, quæ terræ, & maris halitu naſcuntur: ſicq; hæc* Lelia intus *ſtando habet eam foueam in* ſepulchrum, *&* & non eſt cadauer, *quia mortua non eſt, cum autem extra ſit è fecibus ſuis, & è fouea, fouea* cadauer *habet ſuam fecem, & non eſt amplius eius* Leliæ ſepulchrum. *Quoniam per anguſtos, atque ſtrictos calleis ad ſuum ſitum rediit, ut in proprium elementum, quod eſt mare. ſed poſtquàm eius feces reſoluuntur in uapores, & uapores in pluuiam, tunc hæc* Lelia Criſpis *in ſeipſam reuerti dicitur, &* ſepulchrum ſibi eſſe, & cadauer, *cum id totum habeat, quod in foueam miſerius erat. Vnde ex aſperis, ac duris montium cauernis hæc* Lelia Criſpis *liberata gaudet. nos autem huic ſuauiſſimæ Leliæ gratias, tibi illuſtriſſimo Principi uirtutem, Deoq; ſummo rerum omnium opifici gloriam maximè referamus.*

Hoc elementum aquæ, ſapientiſſime Princeps, cæteris uirtute, ac dignitate præſtat, & antecellit, nam ſtat in Cœlo, nutrit terram, ſanat ægrotos, liberat oppreſſos, lauatq; crimina mundi. magnum quidem eſt, & admirabile ſacroſanctiſſimum aquæ myſterium, quod intellectus noſter penetrare non poteſt. fecit enim Aaron Deo ſacrificium de pane, & uino: Dauid uerò ex aqua, quæ tria ſunt in uno ſacrificio mundo, non ſicut carnes pinguium taurorum. Aquam Helias infundit ſuper ſacrificium, & Deus

ignem

ignem è Cælo miſit, & acceptauit ſacrificium cum aqua perfuſum. Aqua & ſanguis ex latere Ieſu Chriſti exiuit, qui dixit. Ego ſum fons aquæ uiuæ, ſi quis ſitit ueniat ad me, & bibat. Vnde intellectus meus quieſcit, & tanto uitæ ſuæ lumine uiuit, ac profectò ſperat, amat, firmiterq́; credit. Aqua inter uiuentia ſemper uiua ſuum habet locum, ut una ex quatuor filiis totius matris naturæ in mundo. Vnde ſecunda ætas in concupiſcendo, cum uoce tantum in hominem proficiſci uidemur, nam ſolus ſapiens, homo uerè dicitur, quemadmodum Philoſophi naturalia eſſe, optimè exiſtimant. Non autem modo in terris diuinitus hoc inuenitur elementum aquæ, uerumentiam in Cælis, in ſtellis, in dæmonibus, in angelis, inq; & ipſo deniq; ſummo omnium rerum opifice Archetypo Deo, qui eſt fons aquæ uiuæ mundificans, & regenerans, de quo in ſacris legitur; Aperiatur terra, & germinet ſaluatorem. Asſignatur itemq; aquæ magnus ille Princeps angelicus Tharſis, & ex ordinibus angelicis ſunt profectò aquei Throni, & Archangeli. ſicq; elementum aquæ ubiq; & ſemper in omnibus, ſuo reperiri modo nemo negare poteſt tam mortalibus, quàm immortalibus.

Ego, inclyte Princeps, ne quid boni, aut uirtutis, aut ſapientiæ profectò habeam, quin uelim tuæ optimæ uoluntati prius uerè obſequi, quàm mihi laboranti et indigēti, ex hoc autem ſcire potes, fœliciſsime Princeps, & me in quot, & quantis ſuauiſsimis cathenis fidei deuinctum habeas. Qua re me & tuæ ſummæ uirtuti, & ſummæ bonitati oblatum iam ſummopere commendo: quoniam ſi meum ſtudium, atque laborem tibi ſuauisſimo Principi pergratum aliqua in re eſſe cognouero, dabo operam, ut pro ſingulari erga me beneuolentia grauiora accipias. Deus itaque, & natura in perpetuum huiusmodi ſummum in te officium meum, & ſummam obſeruantiam perpetuò fortunent.

ILLVSTRISS. COMITI ATQ. EQVITI MARCO MANTVAE Benauidio Iureconſulto Patauino.

Ricardus Vitus S. D.

ARiſtippus ille Cyrenaicus Philoſophus, cum á quodam ſibi propoſitum eſſet ænigma, & ut cōfeſtim ſolueret, importunè rogaretur, Quid inquit, inepte, uis ut illud ſoluam, quod nunc, etiam ligatum nobis negotium facit? Sanè quidē facetè prudentisſimus uir ſignificare uoluit, Non eſſe ſapientis ad ea quæ interrogantur, ſubitò reſpondere, in re præſertim difficili, & obſcura: ne ſi minus conſideratè reſponſum ſit, duplex patefiat ignoratio, tum eius, qui rogauit, quoniam dubitauerit, tum eius, qui rogatur, quòd reſpōdere neſcierit. Poſtquam igitur Mario contigiſſe in hac Criſpi uiderem, ut ſolutum ab ipſo ænigma, maius, quàm cum eſſet ligatum, negotium exhiberet; ſciremq; quid huc adferri melius & aptius poſſet, uolui ſecretum hoc Antiquitaris patefacere, nec illud ſinere in perpetua hominū ignoratione uerſari; ſed in illuſtri nomine tuo Marce Mātua apparere qui Antiquitatū ſūmus amator es, earūq; præclarisſimas reliquias nō abſq; magna ratione collegiſti. Nam cum Antiquitas proximè accedit ad Deos, hominesq; Antiquos, tanquam Diis proximos, & quos ἥρωας Græci uocant, ueneramur & colimus; imagines, ſtatuaſq; ipſorum intuentes, cogitamus quidem corpus uirorum fortium, magnorumq; hominum eſſe mortale; animi uerò motus, & uirtutis gloriam ſempiternam.

Quam perfectò cogitationē, cum omnes nos habere debemus, tum ſenes maximè. qui tranſacta benè, & feliciter ætate, ac multorum annorum decurſis ſpatiis, ex hac uita ad Deos uidētur euolare. Itaque hanc Criſpim meam; iure enim Meam uoco, quam ego inueni; tuam Marce

Mantua,fieri uolo, cuius ſenectutis cauſa de Animæ digni tate ipſam, atq; immortalitate anagogicè interpretatus ſum. Quod honeſtius eſſe iudicaui facere, quam Marii conjecturam rationibus confutare.cum ille tibi æquè notus ſit, & ab Antonio Catharo laudetur.

Quem quidem Catharum poſtquàm abs te audiui,fuiſſe ſicut me ipſum, auditorem quondam tuum, committere nolui, ut à me uerbo uno læderetur. Quòd ſi autē nunc interroges,ut pro iure Auditorii potes,cur ego,Non

Iuue.ſat. 8.

iuris nodos potius,&Legum ænigmata ſoluam?
tametſi alterius Poetæ uerſu,qui in parie-
tib. domus tuæ, ipſiſq; portis ſcribi-
tur;reſpondere poſſem,Deus no
bis hæc otia fecit: tamen
quia tam otii, quàm
negotii rationē
oportet red
dere,
tibi eam ſtatim propono.

Interpretatio de Anima.

QVoniam initio pollicitus ſum, me poſt Narrationem ſolutionis, hoc ænigma interpretaturum, quod Marium dixi de Aqua pluuia alienè expoſuiſſe: fortaſſe nunc aliquis expectat, ut & fidem liberem, & confutem Marium. quorum illud, mihi multo, quàm hoc, facilius eſt. Nam cum Antonius Catharus, ad quem Mediolano tranſmiſſum ænigma fuit, quiq; neminem Academicorum, nec aliorum quantumuis doctiſsimorum hominum fuiſſe inuentum quenquam dicit, qui ſenſum aliquem accommodare ei potuerit; ſic à Mario eruditè tanque acutè expoſitum aſſirmat, ut doctiſsimi huius ciuitatis non ſolum infinitis laudibus extulerint, ſed illud quoq; admirati ſint: profectò mihi non tam carpendus Marius foret, quàm in ipſo eſſent tot eruditorum hominum iudicia reprehendenda. id quod in hac cauſa, quæ eſt poſita in coniecturis facere; arrogantis eſſe iudicaui: Antonium tamen Catharum Iureconſultum laudare non queo, niſi quid amici gratia peccauerit. Nam cum Philoſophi nobis Aquam pluuiam, & ſtillicidia, ut res exiguas, & ad diſputandum ineptas obijciunt, qua fronte poterunt ipſi tantam in eis ſapientiam, *quod nos non facimus, collocare? quomodo Aquam pluuiam omnium artium, & ſcientiæ quaſi domicilium conſtituere? eamq́* uirum, fœminam, iuuenem, anum, caſtam, meretricem *natura inuita & reclamante appellare? idq́; Iureconſulto auctore & laudatore? Rectius itaque & commodius, ut mihi perſuadeo, hæc ad* animam *uniuerſa referemus, deq̀e ipſa interpretabimur. præſertim cum ſimilis apud nos ſcribatur hiſtoria de uxore Lothi; quomodo illa in* Gen. 19
combuſtione Sodomæ, & Gomorrhæ iuſſa ab Angelis, ne reſpiceret ad Vrbes, contrà faciens, uerſa fuerit in ſtatuam ſalis. ſibi enim Deus obtemperari uult, ſeq́; à nobis coli: nec ſemetipſum ſolum, ſed etiam ſuos. quod Poeta ſignificauit, non Dijs Nioben, ſed Deorum matri, Latonæ rebellem faciens; punitam tamen

ab ipſis Dijs, Apolline, & Diana. Atque hæc eſt illa tanta uirtus *Humilitatis, elicienda ex fabula, & in* Animam *infundenda*. Pſal. 118. *quam* uirtutem *ita laudauit Propheta Rex, ut dixerit ſe priuſquam humiliaretur, ſemper deliquiſſe. quam* Animam *nobis ſignificat Niobe Regina, ſecundis rebus inflata, & obliuiſcens Deos; aduerſis ſic attonita, ut nimio dolore obmutuerit, quaſiq; lapideſcens malis diriguerit.*

Am, &c. *Pulchrè igitur* Anima mortalium, principalis pars, dicitur; *cum Reginæ comparetur,* uirtutiq; *manſuetudinis, quæ in Latona fuit, adhærens, ſe ipſa cognoſcit, ſeq; inani abſtinet elatione. Quod ut melius faciat,* Mortalium anima *uocatur. ſcit enim imperium ſuum morte terminari; ne quid ſupra ſe, contraue immortales Deos efficere conetur; homines enim licet participes rationis, ut Angeli, cæteriq; ſpiritus ſunt,* mortales *tamen appellantur; quia neceſsitati mortis tunc ſubijciuntur, cum ſit diſſolutio naturæ, quæ eſt animæ à corpore ſeparatio. Quippe* Animà *eſt immortalis ipſa, neque hac conſtringitur neceſsitate. quare eam Græci* ἡγεμονικὴν*, Latini* principalem *idcirco uocant, quòd exiſtens in mortali corpore, à morte ſit ipſa libera, corporeq; utatur tanquam domicilio, Vnde Saluſtius; Noſtra omnis uis, inquit, in animo & corpore ſita eſt.* animi imperio, *corporis ſeruitio magis utimur, cum imperare deceat id, quod profectum à Deo, in homine obtinet* principatum.

Quomodo autem Anima *profecta ſit à Deo, tametſi nimis fabuloſè, tamen eleganter docent Poetæ. ad quos libenter redeo, quòd in his hactenus uerſatus ſim.*

Elia Lelia &c. *Narrant igitur Prometheum, e luto hominem inanimum finxiſſe, idq; opus admiratam Mineruam promiſiſſe omnia adiumenta ad illius perfectionem, quæ poſſet ipſa adferre. cuius beneficio eleuatus in Cœlum Prometheus, cum uideret cœleſtia omnia flammis eſſe animata, clanculum ad rotas Phœbi ferulam admouit. eaq; accenſa ignem furatus, reportauit in terram, fictiq; ab ſe hominis pectori applicans, ipſum animauit. Vnde, ut ait Vergilius, Igneus eſt illi uigor, & cæleſtis origo: à qua nunc hic* Helia *nominatur; Vel quòd, ut in Phyſicis*

ait

ait Ariſtoteles, homo hominem generet & Sol. Nam, & ſimiliter Lelia dicitur à Luna, quæ latentem quandam uim in animis hominum exercet. nempè Lunatici qui uocantur, morbo animi quodam, furoreq́; laborant; non illo quidem continuo, ſed conſtitutis lunæ interuallis recurrente. Quin & Criſpis appellatur, uel quòd hæc patiatur à calore, uiq́; horũ planetarũ: uel qđ plus exornet hominẽ, qũã Criſpi capilli conducant ad formam mulieris, idq́; adeo, ut ipſa hominis forma meritò uocetur. Et idcirco neqùe neq; uir
uir, quæ ineſt in uiro. neqùe fœmina, quæ in fœmina, neqùe neq; fœmina&c.
androgyna, quæ in utroque, qui eſt hermaphroditus. non hercule magis, quàm rationis uis, quæ præcipua pars uniuerſæ animæ eſt, iſto modo diſtribuitur. Nã cum particeps rationis, differentia hominis efficiens ſit; Hominem autem Dialectici ſpeciem uocãt; neceſſe eſt hanc rationis differentiam eſſe antiquiorem, quàm illas ſexus differentias. Quod eſt autem ſic antiquum, & naturale, ut in homine Ratio, nõ diffunditur ita naturaliter, magis minusue in ea; quæ niſi in indiuiduis ſub ſpeciem ſubiectis, & in perſonis ſingularibus nunquam reperiũtur. Quibus ita conſtitutis. neqùe iuuenis erit anima, quæ ineſt in iuuene; neq; anus, quæ in anu. cum immortalis, & æterna nullis temporibus diſtinguatur. ſunt uerò hæc ætatum duo uti dixi, tempora extrema. quorum uis maxima cernitur in corpore. ut propter ipſum corpus, neqùe caſta ſit anima in iuuene, neqùe meretrix in anu. quando ætas, ut dixi, ſola, libidinis arguat puellas, & uetulas caſtitate defendat.

Quæ tamen non ita uera, certaq́; ſunt, ut retorqueri ſingula non poßint, animaqùe dici uir, quæ fortitudinem: & fœmina, off. i.
quæ ignauiam parit. Vnde Imperator apud Ennium, ut Cicero refert, exemplo Cloeliæ uirginis, ſuorum militum ignauiam iuſte increpans,

Vos etenim iuuenes, inquit, animos geritis muliebres,
Illaq; Virgo, uiri. Quibus ex uerſib. etiam illud apparet, quo modo dicenda ſit anima androgyna; cum uirgo uiri, & uir muliebrem gerit. quemadmodum de Thomyri, et Semyrami, de Sardanapalo, & Hercule amatore ueterum hiſtoriæ tradiderunt. Propius autem in uno, eodemque homine dicitur.

andro-

androgyna, *ut in inconſtante, in incontinente, in meticuloſo, & ſimilibus: quorum contrarijs, ſibiq; inuicem repugnantibus affectionibus referta omnis Comœdia eſt. Quis enim Thraſonem apud Terentium non ridet, abſente Thaide mili tem glorioſū eadem præſente, quauis ancilla ignauiorem?* *Nunc cur anima uocetur* iuuenis, *apparet in impubere; quem Paulus ait, naturà probiberi iudicem fieri, quòd animi iudicio careat. non quò* Animam *non babeat, quantam alij; ſed quoniam ea quantum ualeat per ætatem adhuc oſtendere non poſſit. Proinde Terentianus ille Parmeno; Pueri inter ſeſe, inquit, pro leuibus noxis iras gerunt. quia, qui eos gubernat* animus, *infirmum gerunt. Quæ cum ita ſint, dicetur etiam* anus; *non quod ſeneſcat unquã: ſed tunc, quando in boc corpore uirtutum & artium perfectionem conſequitur. ob eamq; cauſã, niſi fallor Quintilianus affirmat, præcocis ingenij pueros citius mori: quaſi ad ſenilem quandam ſapientiam ante tempus à natura conſtitutum peruenerint. Sicut ergo* anus *de ijs quæ uidit, quæq; audiuit, decurſa iam ætate libenter loquitur: ſic animus ſapientis, & ſenis uiri, uniuerſas rerum, quas percepit, comprebenſiones ſimul intuens, ſæpè, multumq; ratiocinatur. Atqui quòd* caſta *nominetur, id* anima *non ex corpore habet, ſed ex ſua ipſius puritate. nam permiſtione corporis coinquinatur: ut omnis uitæ honeſtas, & turpitudo magis actione corporis, quàm ulla animi cogitatione perficiatur. ſi tamen illa actio eſt uoluntaria. quippe Lucretiam corpore quidem maculatam, hiſtoriæ* caſtam *uocant, quòd animo eſſet talis, nec in adulterium conſenſiſſet. Ex quo, quæ contrà facit,* meretrix *appelletur. Etenim ſcribitur, Qui uiderit uxorem alterius, & eam concupiuerit,* animo *ſuo mæchatum iam eſſe. Videre primum, eſt corporis; concupiſcere ſecundum eſt* animæ, *quaſi conſentientis corpori propter ſtimulum carnis. qui quanquam eſt grauis, tamen* animus *reſtitiſſe potuit. quòd quum non facit, peccat, ut actio nulla conſequatur. eaq; opinio uera eſt Theologorū.*

ff. De iudiciis l. cum præ-tor. §. non autem. in ſt. quibus nõ eſt permiſſa. teſt. §. ꝑterea.

De pen. diſt. i. c. ſi cui etiã:

A quibus me nunc iuſtas ob cauſas retrahens Animam *dico,* neque Cœlo, *ut beatas illas, & cœleſtes,* neque terris, *ut brutorum animantium;* neque aquis, *ut piſcium,* ſed ubique in

neq; cœlo, &c.

humano corpore iacere. *cuius nulla pars, ſi uiuit, anima caret. Sed eius tamen præcipuam ſedem in corde multi, quidam in cerebro, nonnulli in ſanguine poſuerunt. Ita cum hoc corpus ex quatuor elementis compoſitum ſit, modo quodam reſolutionis dici poteſt* anima in cœlo. *hoc eſt,* in aere; in terra, & in aqua iacere. *Non addit quartum elementum* ignis, *ne cui abſurdum uideretur ipſam in ſe ipſa contineri: cum antè dictum ſit, quendam uigorem, naturamq́; ignis in anima ineſſe, quæ & ignis ſæpenumero ſine ulla adiectione nominatur.* Vbique *autem* iacet, *quod in his elementis natura repoſuit, quibus res omnes conficiuntur, quibuſq́; locus nullus in hoc mundo, quē colimus, uacat.*

Quapropter ſublata *dicitur* neq; ferro, neq; fame, neq; ueneno. *quando enim diſcedit a corpore, illud potius relinquit, quā aufertur ab eo, mors autem ea, quæ tribus his modis fit, corporis quidam interitus, animæ nullus eſt. quæ cum ſpiritus ſit. nihil ui corporea illatum patitur. ſponte igitur ſua; & quaſi in ſomno recedit. Vnde Ouidius, Quid eſt inquit, ſomnus, gelidæ niſi mortis imago? ſed omnibus tamen his modis auferri quodam modo poteſt, quum* ferro, fame, & ueneno *uita hominibus adimatur. Quam quidam uitam Ariſtoteles definit, Actionē* animæ *eſſe in corpore. ita ut* ſublata *ſemel per huiuſmodi uim hac tali actione, ipſā quoque* animam *auferri ſit neceſſarium. quæ niſi quid agat, mortua uidetur.* *Eſt enim* Anima *uitæ propria, qua ſentimus & mouemur:* Animus *uerò conſilij, quo ſapimus & intelligimus. qui & ipſe ab* anima *dictus eſt, eiq́; ſic adiunctus, ut in ipſa contineatur. inter quæ diſtinguere tametſi eſt hodiè, perdifficile, cū promiſcuè utamur, mihi tamen faciundum neceſſariò, ut planiorem accipiant quæ ſequuntur interpretationem. quomodo enim aliàs animorum immortalitatem ab hac funebri conclamatione defendero?*

Sublata neque ferro &c.

Cum igitur anima *uiuendi (ut modò diſtinguebam)* animus *autem intelligendi uim habeat; fit ut nimis altè intelligendo, homines aliquando minus uiuant. quòd obſcurè à me dictum rationibus & exemplis declarabo. Docet in Phædone Plato, quòd* animus *ad intelligendum, eaq́; quæ ſupra ſe conſtituuntur, con*

Lelia Criſpis &c.

quæ à terra eriguntur, ut homo, quæq; acuminata *ſunt.*
Ergo animus *hic, cum ad inclamationem ſuam nihil* anima *re-*
ſpondet; nec ad ea quibus ipſe oblectatus eſt, mouetur: iam neqùe
uir *eius, quæ uirtutem non ita magni facit. nam à uiro uirtus no-*
minatur. neqùe amator *illius, quæ pulcherrimas res aſperna-*
ta, corpore ipſo, ſuisq; rebus contenta eſt. neqùe flens, *ut in*
Heraclito, hominum miſerias, in quas hæc per inſcitiam caſura
uidetur: neqùe ridens, *ut in Democrito, mortalium ineptias,*
quarũ iſta nunc eſt ſumme ſtudioſa. ſcit, *quatenus dæmonibus, &*
ſpiritibus omnia percipientibus naturà coniungitur. neſcit *qua-*
tenus in corpus detruſus, & ab anima retentus, cum ipſa ſimul
obſcuratur; cui poluerit, *hoc iudicij ſui, quod ſequitur teſtimoniũ.*
Quod priuſquam expono, exempla, ut pollicitus ſum, addu- hoc eſt ſe
cam. erit enim planius. Nam quibus rationibus altè ſapimus, pulchrũ
quoq; modo animus *diuina contempletur, hactenus expreſſum* &c.
eſſe arbitror. Quæ profectò contemplatio, quanta ſit digni-
tas animorum noſtrorum, quãta ſciendi uis, quantaq; poteſtas
intelligendi, ſola uidet. & ſola Philoſophiã cognoſcit, mortis eſſe
commẽtationem: ita ut accurato ſtudio cogitandi, uiros Sapien-
tes quodammodo extra ſe poſitos plerunque faciat. non ut impiè
definitionem intellexit Cleombrotus, qui ſe præcipitem è ſublimi
dedit. ſed ut Ioannes Scotus Philoſophus noſter melius. qui tam
intentè ſtudijs incumbebat, ut quadam uelut extaſi ſibi ipſe abri-
peretur, & ſepultus eſſet uiuus: ignorantibus hoc ſocijs, nec ip-
ſum (quod ſuprà dixi fieri ſolere) conclamantibus. Rectè itaqùe
hanc ex nimis intenſa contemplatione prouenientem paſſionem
Græci ἔκστασιν *dixerunt, quaſi quandam* animæ *abſentiam, aut*
potius extra corpus ſtationem, ſi uerbum uerbo proloquimur. ui-
detur enim tunc extra corpus ſtare, cum foris tamen non ſit, ſed
potius intus quieſcat in corpore, & tanquam ſepeliatur. Quod
ſanè tempore corpus eſt, ut ſepulchrum intus cadauer non
habens: *cum uiuat* anima, *quæ ineſt in eo. Dici uerò corpus*
tunc ſepulchrum, *cum in eo ſic* anima *requieſcit, non eſt certè*
alienum. quando Greci σῶμα, *quaſi* τὸ σῆμα, *ut ait Plato, uo-*
carint. & Vergilius, Inuadunt urbem inquit, ſomno, uinoq;

ſepultam. nullo quidem reſpectu animorum. *ita enim eſt nefas ſepultum quę quam dicere. quanquam hoc loco fas eſt* animam *uocare*, cadauer, ſepulchrum extra non habens. *neq; enim mortis ulla, ſed actionum, quas in corpore faceret, conſideratione, dicitur* cadauer. *à quibus ſe nunc abſtinens, ut Chryſippus à cibo, cum eſſet in menſa, tanquam* cadauer *poſſet ipſa iudicari; at corpus eam continens, non ut* ſepulchrum. *nam adhuc eſt uiuum, & ſanguine calens; non exangue, nec mortuum. quippe tunc ipſis ſepulchrorum ſaxis eſſet frigidius. Ex quibus omnibus perſpicuum fit, quomodo* cadauer idem eſt, & ſepulchrum ſibi, *is, qui in philoſophiam nimis intentus eſt. quæ in contemplatione, & cognitione poſita rerum, quia (ut inquit Cicero) Deorum eſt uitæ ſimillima, ſapiente uiſa eſt digniſſima. Itaq; uerſus hi tres ſic accommodantur in Elogio, ut primus ſit* corporis, *tanquam* materiæ: *ſecundus* animæ, *ueluti* formæ: *tertius* hominis, *ut* compoſiti *ex utroq;. Quemadmodum enim* anima *perfectionem uirtutum ac ſcientiæ per corpus acquirit: ſic homo* θεωρητικός, *per diligentem mentis abſtractionē, cum in reb. quæ intelliguntur, ſapienter, & ſedulò occupatur, perfectam in hac uita felicitatem procurat, beatamquè illam uiſionem cæleſtium ſpirituum, & ſanctarum intelligentiarum, ad quam omnes aſpirant, & ire contendunt.*

lib. 5. de finibus.

EPISTOLA EXCELLENTIS LEGVM DOctoris Ioannis Turrii Brugenſis ad Ricardū Vitum: applicantis Epitaphium ad Materiam primam.

CVM nuper inter nos doctisſime Vite, orta eſſet diſputatio de quodam ænigmate, cuius principiū eſt, Aelia Lælia Criſpis: cognoui te in eo explicando, elapſos hoſce Natalitiorum dies, quos pleriq; oēs execrādo alearū ludo, & illiberalib. exercitationib. impendere ſolent, egregiè consūpſiſſe. Illud aūt, poſt dictam utriuſq; noſtrū opinionem, cum uelle uidereris, ut perlegerem, non inuitus mehercule feci, ut tuæ morem gererem uoluntati. Cum.n. ex quotidiana conſuetudine familiariq; colloquio, te omni uirtutū, doctrinarumq; genere ornatisſimum comperiſſem; ita mihi perſuaſeram, in quo tu induſtriam ſtudiūq; aliqđ poſuiſſes, hoc omnib. numeris abſolutisſimum fore. In quo ſanè, non modò opinioni, quam de doctrina tua conceperam, cumulatisſimè reſpondiſti, uerum etiā longo eam interuallo ſuperaſti. Cæterum nonnihil utriq; iniectū ſcrupuli fuit, dū ego affirmarē me hoc ænigma, ſeu mauis Epitaphium, Bononiæ ex ipſo archetypo, ut putabam, longè aliis uerbis deſcripſiſſe. Qua in re poſt multas tandem controuerſias, in hanc ſententiam diſceſſionem fecimus, ut exiſtimaremus Mediolanenſes, dum quæ alii diligenti inueſtigatione non ſine ſummis laboribus adinuenerunt, ſibi adſcribere uolunt, ænigma illud quibuſdā in locis nōnihil immutaſſe. Placuit itaq; tibi, ut Epitaphiū illud, quod hiſce oculis lectū, deſcriptumq; mecū attuleram, fidei faciendæ gratia in calce tui libri (quando perlegiſſem) adiungerē ſimulq; quid de eo ſentirem paucisſimis explicarem. Res profecto, quæ & exercitatione non mediocri indiget, & in qua enodanda præſtantisſima quæq; ingenia tanquā in amplisſimo quodam campo liberè diuagari queant. Sed miſſis ambagibus & uerborū longo circuitu, dabo hoc noſtræ hiſce dieb. cōſtitutæ amicitiæ. & ſi nō omni ex parte tibi ſatisfactū fuerit, amabis opinor uoluntatē meam: cū præſertim, ut ille inquit, in arduis reb. ſit uoluiſſe ſatis.

B*ononiæ porta Maſcharella egredientibus primo ab Vrbe lapide offert ſeſe uillula Marci Antonij de la uolta Patritij Bononienſis, in qua tuum illud reperitur Epitaphium. cuius quidem uetustatem, literæ in marmore nonnullæ, diuturnitate temporis, ſituquè, & quaſi quadam rubigine corroſæ, facillimè per ſe indicare poſſunt.*

D. M.

Ælia Lælia Criſpis, nec uir, nec mulier,
Nec Androgyna, nec puella, nec iuuenis,
Nec Anus, nec caſta, nec meretrix, nec pudica,
ſed omnia,
Sublata neq; fame, neq; ferro, neq; ueneno,
ſed omnibus,
Nec cœlo, nec aquis, nec terris, ſed ubiq; iacet.
Lucius Agatho Priſcius, nec maritus, nec amator,
Nec neceſſarius, neq; mœrẽs, neq; gaudẽs,
Neq; flens, hanc nec molem, nec Pyramidẽ,
Nec ſepulchrum
ſed omnia,
Scit & neſcit, cui poſuerit.

INTER Philoſophos, qui de rebus naturalibus aliquid, literarum monumentis traditerũt, de rerum principiis maximæ ortæ ſunt controuerſiæ, & diſputationes, adeo ut uerè dici poſſit, quot ſunt capita, totidem ferè opiniones, et ſententias extitiſſe. Sed omiſsis aliorum perſuaſionibus; Peripateticorum Princeps Ariſtoteles credidit, omnium naturalium rerum tria eſſe principia, Formam, Materiam primam, & priuationem. Ex tribus his uidendum diligenter eſt, ſi fortaſſe unum poſsit, ad prædicti iam ænigmatis uerba accommodari. Et puto ſanè Materiæ primæ hæc omnia non malè applicari poſſe; cum præſertim illa in ſe hæc duo contineat, ut & nihil ſit, & omnia. quo benè conſtituto ſingulas partes, diligenter ponderemus.

Aelia Lælia Criſpis. Ariſtoteles in Phyſicis ait, formam Ælia Lælia &c. habere rationem perfectioris, & maris: materiam uerò imperfectioris, & fœminæ. atq; ob id nil mirum, ſi eam nomine mulieri proprio ænigmatis author expreſſerit, uocaueritq; Aeliam Læliam potius quàm alio quouis uulgari, & trito nomine: ut inde maior cum difficultas, tum etiam amplior ænigmati accederet authoritas. Quanquam quid opus erat me in nominis huius interpretatione occupari; cum ea ſit otioſis, & pertinacibus re- glo. ad rub. ſolu to matri monio. rum indagatoribus potius relinquenda?

Criſpis. hoc puto adiectum eſſe ficti cognominis cauſa; ut priora duo ſint Nominis, Prænominisq; uice, poſterius autem iſtud Cognominis. uel, fortaſſe dicitur appellari Aelia Lælia, quibus? Cripis uidelicet; qui ſint populi ad nominis ſimilitudinem à Poe- Nec uir, nec mulier &c. ta ficti, & excogitati. Nec uir, nec mulier &c. Hæc ſanè primæ materiæ optimè accommodantur. ea enim poteſtate eſt omnia, actu uerò nihil. & ideo actu non eſt, iuuenis, nec puella, nec anus. poteſtate tamen omnia. quia poteſt eſſe iuuenis, puella, & anus.

Sublata neque &c. Dicitur prima materia nec tolli ferro, nec fame, uec ueneno. nimirum quia actu nihil eſt, qui certè actus ad cuiuſq; rei interitum neceſſariò debet accedere. Interit

tamen omnibus, *cum omnia quæ ſunt, ab ipſa tanquam principio primo ſuum eſſe quod dicitur, habeant, & illa nos ſingula uidemus* ferro, fame, & ueneno *perire:*

nec Cælo &c. Nec Cœlo, nec aquis *&c. Prima materia cum nihil ſit, ſed imaginatione ſola comprehendatur, nullo iſtorum locorum contineri poteſt. dicitur nihilominus* ubiq; eſſe; *quia omnia quæ ſunt, quæq; ex ea tanquam principio conſtant, aliquo horum locorum in neceſſariam conſequentiam continentur.*

Lucius &c. Lucius Agatho Priſcius. *Obſeruauit hic ænigmatis inuentor; ut uſitatum illum in Epitaphiis morem ad unguem retineret, & idcirco ut nominibus nomina reſponderent, tria uiciſsim hic in familiari conſuetudine minus recepta excogitauit.* Sed omnia. *hic diligenter aduertẽdum eſt, nequis hæc duo uerba prædictis omnibus, quæ de* Lucio *dicuntur, applicanda putet. tantùm enim referri debent ad hæc.* nec molem, nec Pyramidem, nec ſepulchrum, ſed omnia. *ita enim marmor illud cum inſcriptione erectum eſt, ut cum reuera,* nec Pyramis, nec ſepulchrum, nec moles *ſit, eorum tamen omnium inſtar, & loco eſſe poſsit. Quod autem ad ſuperiora hæ duæ uoces referri non poſsint, perſpicuum ex eo fit; quòd cum illa nomina ſint ficta, rebus non exiſtentibus hæc accidentia perabſurdè tribuerentur; cum omnino accidens ſine ſubſtantia eſſe nequeat, & non entis ſecundum Iuriſconſultos nullæ ſint qualitates.* ſcit, neſcit. ſcit *quidem ſe poſuiſſe* materiæ *primæ. uerùm cum ea ſub ſenſum non cadat, ſed ſolo intellectu concipiatur,* neſcit, *quæ ſit illa materia.*

l. ſi ſeruũ. §. ult. ff. de actio. emp.

Nec mihi quis obijciat hoc loco, ea quæ pugnant ex diametro, ſimul in una ueritate conſentire non poſſe. Etenim dico non eſſe abſurdum, ut diuerſis reſpectibus quis idem ſciat, & neſciat. ſciat *quidem cognitione, quæ intellectu conſtat; ea uerò, quæ ſub ſenſum cadit, planè ignoret. Et hæc ſint, quæ curſim, atq; obiter ad propoſitam dubitationem diſoluendam, in medium proferre uolui. Vale. & æqui boniq; conſule, Idibus Ianuar,*

M. D. L. X VII.

RESPONSIO RICAR. VITI AD TVRRIVM, Explicantis Epitaphium de Idea.

TVam Epiſtolam amiciſsime Turri, libenter perlegi; inq; ea diſcriptum Epitaphij exemplar cupidè uidi; nec opinionem tuam, quam & communem eſſe omnium ferè Bononienſium, mihi præſens dixiſti, ulla ex parte reprehendo. Quid enim poteſt à me eſſe alienius, qui ſuam cuique liberam coniecturam relinquo, ut meam certè mutare, ipſe non poſſum? Nam ſi me interroges, ut Socrates Alcibiadem, duos nè, an tres oculos habeam, manus uè duas, an uerò quatuor, uel quippiam ſimile; tibi ſum idem ſemper reſponſurus. quia quod me rogas, certum cognoſco. Quod non eò dico, quò quis me, rem hoc Epitaphio notatam putet, tam certò, quàm manum, qua ſcribo cognoſcere: nam id in coniecturis affirmare, nō arrogantis ego, ſed planè impudentis eſſe iudico. Quid ergo inquis eſt? cum uerba ferè ſingula, ad Hominem referri debent, de Materia, quæ prima dicitur, quæque homine quouis antiquior eſt, non credidi potuiſſe optimè intelligi. Hoc cum tibi præſens obiicerem, reſpondebas; id, de quo agimus eſſe Epitaphium, neq; ſolere Epitaphia niſi hominibus inſcribi. ob eamq; cauſam uerbis humano generi proprijs utendum fuiſſe neceſſario.

Quod cum ais, hominibus ſolis elogia ſcribi, ut omittam nunc alia, quæ ſunt infinita; mihi uideris planè eſſe immemor Pſittaci illius Indi, cuius mortem Ouidius. ita fleuit, ut & ſepulchrum quale eſſet, atq; ipſum eius Epitaphium dixerit: lib. 2. eleg. 6.

Oſſa tegit tumulus, tumulus pro corpore magnus.
Quo lapis exiguus par ſibi carmen habet:
Colligor ex ipſo Dominæ placuiſſe ſepulchro:
Ora fuere mihi plus aue docta loqui.

Ego uerò Turri quanquam Pſittacus ille, loquax humanæ uocis imago fuerit, ut dicit Ouidius; & propterea iuſtius poſſet hominum uocabulis ornari, tamen nihil ibi Diis Manibus inſcriptum puto, cum duo illi characteres D. M. nec in ſepulchris animaliū, D. M.

quæ bruta dicimus, nec earum rerum, quæ carent anima, qualis eſt Materia prima, notari ſoleant. Quando igitur Manes ſunt, (ut Apuleius inquit de Dæmonio Socratis) Animæ maioris meriti; quæ in corpore noſtro Genij, corpori autem renunciantes, Lemures dicuntur: & tunc à corporibus ſeparatæ, ſi domos noſtras incurſionibus infeſtant, Laruæ, ſi uerò bonæ fuerint, Lares familiares appellantur: cumq̀ue Homo ſit is, qui talem animam habeat ſolus; quiq; cognatione quadam coniunctus cum Deo, ad ipſius ſimilitudinem formetur; ſuſpicari mehercule aliter non potui, quàm ut ea, quæ ſequuntur hanc ἐπιγραφὴν, uel ad ipſos Deos, uel ad Dijs genitos, cognatos ùe referrentur. Impium uerò Dijs immortalibus ſepulchra mortuorum inſcribere. neq̀ue id fas eſt iudicatum in Dijs genitos facere. ſed Hominibus, qui certa Deorum cognatione colligantur, non modò fas eſt, uerum etiam pium, monimenta erigere, & noſtrarum de ijs mortuis cogitationum teſtimonia in Epitaphijs proponere. Itaque hæc ad Homines uniuerſa conuerto. nec tam ad multos, quàm ad unum eundemque, & quem ipſū hominem uoco. longè aliter, quàm in ænigmate Mediolanenſium fecerim: ſed non contrario tamen, aut prorſus alieno modo.

Sicut enim, cum aliquid addimus, uel detrahimus iuri communi ius proprium efficimus, ut commune tamen non auferatur: ſic cum huic Epitaphio Mediolanenſes nonnulla detraxiſſent, mutaſſent quædam, et epigramma Agathij affixiſſent, fecerunt ænigma, & quidem proprium. ſed huius tamen Epitaphij ueritatem non abſtulerunt. Vt ergo, in Aenigmate quæcumque notaui, de ijs nihil nunc reuoco; ſic eis contrarium, nihil hoc tempore reſpondeo. Sed quemadmodum de Aqua pluuia arcenda, contra Marium egi; ita contra te, Ne confuſo Materiæ Chao luminibus intellectus officias, ſeruitutem præſcribam. Speroq; fore, ut apud æquum iudicem, tota negotii ueritas facilè audiatur.

Igitur Plato, in dialogo de Natura hominis, qui eſt inſcriptus Alcibiades, Socratem facit diſputare, Quid ſit homo. Res quidem populo, qui ſenſu rapitur, facilis & nota: eruditis autem, & ijs, qui conceptas intelligunt rerum formas, quas ἰδέας Græ-

ci

ci uocant, ardua, & difficilis. Nam cùm res ueræ ſint eæ, quæ naturalium rerum ideæ ſunt; reſq; ipſæ naturales, formæ ſolummodo harum, & imagines idearum exiſtant; fit, ut populus in iſtas naturales tantùm intuens, iis tanquam rerum uerarum imagine fallatur, putetq; ſe ſcire, quod neſciat, & in iudicando facilè decipiatur. Quod contra facit uir Sapiens. qui, ut inquit Accurſius, fallere non uult: falli autem non poteſt. non uult *quidem, iuſtitiæ quodam, &* uirtutis *amore:* non poteſt *autem, propter* ſapientiam. *Quarum rerum duarum cum in Criſpi aliqua documenta ænigmaticè contineantur, ut partim hactenus ſignificaui; conemur eruere, & efficere nos, id quod dixit Poeta, ut commiſceatur utile dulci, & hæ nugæ ſecum aliqua ſeria ducant. Diſputat ergo Socrates: Hominem non eſſe, qui putetur à uulgo, qui currit, qui ambulat, qui loquitur. nec Hominem eſſe, qui corpore ſimul, atque anima conſtet. cum enim corpus, quæ una pars eius eſt, parere ſemper debet, quomodo hominis officium, quod eſt imperare, rectè unquam faciet? Atqui ſi nec corpus, nec utrunque, id eſt, corpus & anima ſimul, Homo ſit; reſtat uti arbitror, inquit Socrates, ut aut nihil omnino ſit Homo; aut ſi quid eſt, ipſum oportet nihil aliud, quàm Animam eſſe. Quo in dialogo Ficinus duas, quas uocat Theologicas, dictiones notauit.* ipſum idem & ipſum quicquè *quod* αὐτοἰκαςον *Græcè dicitur. Circa hominem, inquit, illa dictio ſignificat* animam ut ideam, *hæc* animam in corpore. *Ego uerò ad propoſitum. Cum ænigma poeticè declaro, in Niobe hominem, uti populus ſolet conſidero, ſecundum corpus, eaq; quæ corporibus accidunt. cum anagogicè interpretor contra Marium, Animam in corpore contemplor. Tibi nunc quod reſpondeam, quid niſi tertium reliquum eſt Turri? Dico igitur* αὐτόαυτον, *Animamq; ut ideam hoc Epitaphio notari. Quæ ſi tibi placuerit & de ſua celſitate deſcendere poſſit, Materiæ tuæ uti forma coniungetur, ipſamq; faciet nobis parere Criſpim hanc, non ita poſthac intellectu difficilem, & obſcuram; ſed noua ſpecie pulchram, & iucundam moribus, noſtriſq; affabilem mentibus, atq; ipſis oculis quodammodo aſpectabilem. Sed uereor, ut poſſit deſcendere. quin*

gl. ſcientia. l. iuſtitia. ff. de iuſt. & iure.

F *etiam*

etiam nec pro eius dignitate eſſe, ut deſcendat èxiſtimò. proinde ad ipſam nos aſcendemus; ſed non prærupte tamen, ne recidamus; at conſtitutis quibuſdam gradibus.

Primum igitur ab infima humo, à qua Homo nominatur, incipiamus. hominem enim Prometheus, ex luto, ut dixi, finxit. Deinde paulo altius, eundem hominem ex Cicerone definiamus, Animal prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilij, præclara quadam conditione generatum à ſupremo Deo. ſolum eſt enim ex tot animantium generibus, atq; naturis particeps rationis & cogitationis, cum cætera ſint omnia expertia. quid eſt autem, non dicam in homine, ſed in omni cælo atq; terra, ratione diuinius? cuius quidem uim, omnemq; poteſtatem ita demum ſenſu percipiemus, ſi ex ijs rebus, quæ perfectæ hominis naturæ accidunt, ſimulachrum aliquod fecerimus. nam cum ſtatuæ & imagines non animorum ſimulachra ſunt, ſed corporum: certè illa corporum deſcriptio, quoddam animorum ſimulachrum intelligi facilè poteſt. Quamobrem perpulchra ſunt ea, quæ apud Ciceronem primo libro de Legibus ſequuntur:

Ipſum hominem eadem natura non ſolum celeritate mentis ornauit, ſed etiam ſenſus tanquam ſatellites attribuit ac nuncios. figuramq; corporis habilem, & aptam ingenio humano dedit. nam cum cæteras animantes abieciſſet ad paſtum, ſolum hominē erexit, ad cæliq; quaſi cognationis domicilijq; priſtini conſpectum excitauit. tum ſpeciem ita formauit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. nam & oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti ſimus, loquuntur: & is, qui appellatur uultus, qui nullo in animante eſſe præter hominem poteſt, indicat mores. Quin ſexus ipſe quoq; (libenter enim ad iſta uenio) tametſi nobis cum cæteris animantibus communis eſt, tamen quemadmodum natura aliter afficimur, oſtendit. Homo enim, qui mas dicitur, fortis, conſtans, magni, & excelſi animi; quæ autem fœmina, abiecta, leuis, nulliusq; opis, & conſilij eſſe creditur. de quibus ſingulis, ut etiam de hominis ætate, de uirtutibus, & uitiis ſatis, ut mihi uidetur, in Interpretatione expreſsi. Nunc quod huc pertinet. ex omnibus his, quæ dicta ſunt hactenus,

nus , ſimul conflatam in intellectu ſcientiam , impreſſamq́; in
mentibus , & quaſi innatam , notionem hominis , formulamq́;
(niſi fallor.) habemus . qua rectè unumquenq́; cognoſcimus.
Veruntamen hic conſiſtere non oportet . ulterius eſt progredien Nec uit
dum , ad ipſam ſanè ideam . cuius tànta eſt potentia, ut formas &c.
ipſas, reſq́; procreet ; & tanta amplitudo, ut quod in humano ge-
nere perfectum eſſe , quodq́; ingenio excogitari abſolutum , &
arte doceri poteſt , id uniuerſum comprehendat . neq́; habet in
ſe huius, uel illius hominis ; ſed totius Humanitatis quaſi dicerem
αὐτότητα, propriasq́; & naturales conditiones. nec uir, nec mu-
lier , nec Androgyna tantum , nec puella, nec iuuenis, nec
annus ſolum , nec caſta , nec meretrix , nec pudica per ſe
duntaxat , & ſeorſum ab alijs , ſed omnia ſimul eſt . cum enim
perfectiſſima ſit , partes aliquas complecti , & non ex omnibus
totis , atq́; perfectis abſolui , nullo modo poteſt . quas quidem
partes illa , hominis notio atq́; forma comprehendit , quæ intel-
lectu percipitur , quaq́; huius ideæ quadam imago eſt . ipſum
quicque ſuprà nominaui , quòd ad ſingulos quoſque homines ani-
mam deducat .

Quod cũ eo ſanè tẽpore, tam fame, quàm ferro, & ueneno, ut ho Sublata
mo in quo ineſt, anima pòſt auffertur. Sed quà tamen in ſe ipſa eſt, &c.
abſtracta prorſus à corpore , nullo modo perimitur . Nec Cœ- Nec cœ-
lo , nec aquis , nec terris , quæ ſunt corporis loca , Sed ubiq́; lo &c.
iacet . cum ſpacio certo nullo deſcribatur , nec ulla mundi regione
terminetur . Accedit eodem , quòd eſſe hic aut ibi, Ideæ non con-
ueniat ; ubiquè ergo eſſe conuenit . Sed quaſi eſſet nuſquam , ſic
ei monumentum poſuit Lucius Agatho Priſcius . uel ut uero ſi-
milius dicam , non nemo Peripateticæ familiæ homo lepidus , &
acutus . qui inductas à Platone Ideas ſepultas omnes cuperet, ut
de his nulla extaret memoria, nec unquam noua ſurgeret diſputa-
tio . Cui ego homini Marſilium Ficinum libenter oppoſuero .
is ad Dialogum ſextum de Repub. Platonis adnotans : Vt ani-
maduertas , inquit , Ariſtotelem in Ethicis circa ideam boni ad-
uerſus Platonem ludere ; lege Platonis uerba diligentiſſimè , ac
planè perſpicies ideam boni non eſſe ſpeciem hanc , aut illam ; hic

aut ibi; ſed ipſam eminentiſſimæ diuinitatis fœcunditatem, per omnia ſeſe potenter, ſuauiter, & ſalubriter propagantem. cætera quæ ſequuntur, quia non ſunt huius diſputationis ac temporis, non commemorabo. mihi quidem magis eſſe Chriſtiana uidentur, quàm Platonica.

Sed ut reuertar ad propoſitum Turri, cum multum interſit inter ænigma populare, quod riſum mouet, cum ſoluitur; & eruditum, quod docet ſapientiam: cumq; de ipſo homine hactenus, & de Idea ipſius expoſuerim ea, quæ ferè tractantur ab Academicis; nunc de homine qui communis appellatur, hæc quæ ſequuntur interpretabor: quòd homo is, quicum in communi uita uiuimus, mihi uideatur, quoties in ideam aſpicio, nec maritus eius, cuius eſſe caput, & dominus, ut uir uxoris eſt, nunquam potuit. nec amator huius, quæ tanquam homines peroſa eſſet, ita fugit ab aſpectu, ut uix reuocata dignetur animis noſtris cogitationibuſq; illabi. nec neceſſarius, ullo ſanguinis, aut beneuolentiæ iure. nam pluribus in rebus poſita non eſt neceſsitudo: non ſanguine quidem coniunctus ei, quæ uidetur nihil reuera eſſe, ſed conficta quædam ab Academicis intelligentia. nec etiam beneuolentia, cum ſe ipſum hominem appellet. perinde quaſi præ ſe omnes contemneret, neqùe ullos, eſſe homines iudicaret. neqùe moerens, ut in uxoris funere maritus ſolet. neqùe gaudens ut amator, qui ab amata nullam repulſam tulerit. indignatur enim potius tunc animus, cum reiicitur, quàm ullis gaudijs perfunditur. neqùe flens, ut neceſſarij & affines ſolent. cum ipſe ſit Ideæ nec neceſſarius, nec affinis. Sed monumentum illi ſtatuens, ſcit & neſcit cui poſuerit. cum & in ipſum hominē & in homi-
Ethi. i. nem una quadret, eademq; (ut ait Ariſtoteles) hominis definitio. nam quà homo ſit ipſe homo, nihil differunt, & hactenus ſcit. quà uero quid eſt ab aliis ſeiunctum & ipſe per ſe in Idea ſua, profecto neſcit, cui poſuerit. Nimis oblectatur enim homo qui communis dicitur, rebus iucūdis, & utilibus ad uitam benè ſuauiterq; tranſigendam, quarum rerum abundantia, facile parit ignorationem. Proinde Socrates (ut ad prima redeā) uolens explicare Alcibiadi præceptum Apollinis: quo quemque iubet, Noſſe ipſum ſe,

Quem-

Quemadmodum, inquit, oculus ita demnm ſeipſum cernit, cum in oculum ex aduerſo intuētis aſpicit; inquè eam oculi ſummam, quā pupillam uocamus intuetur, ubi uidendi uis eſt: ſic ſi ſeipſam uolet anima cognoſcere, in animam debet intueri, inquè eum præcipuè locum, in quo ineſt uirtus animæ, ſapientia. *Prius autem diximus, nihil aliud eſſe hominem, quàm animam ipſius. Ergo cum Apollo Noſce te dicit, hoc dicit, noſce animum tuum. ab animo tuo quicquid agitur, id agitur à te. Hæc Socrates. ille uir, qui alio eiuſdem Apollinis oraculo Sapientisſimus eſt appellatus. qui philoſophiam primus deuocauit è Cælo, & in urbibus collocauit, & de uita & moribus coegit quærere. quam ueram eſſe philoſophiam, eius auditor Plato, in epiſtola ad Ariſtodorum exiſtimauit. ad alias uerò, & ad alia declinantes ſcientias & facultates, ſi quis, inquit, ornamenta dixerit, rectè, ut arbitror, appellabit. cui planè conſentit noſter Vlpianus, qui ueram nos ait philoſophiam, non ſimulatam profiteri. Quod cum ita eſt Turri, uideamus an quicquam in tota Criſpi ſit, quod ad ethicos referatur. Ac nè longius à principiis abeam, quid aliud quæſo nobis poetæ, qui ueri sūt, niſi mores laudant bonos, & uituperant cōtrarios? Cumq; uirtutis laus omnis in actione conſiſtit: Romani, inquit* Lib. 47. *Scipio ille Africanus, apud Liuium, ex iis, quæ in Deum immortalium poteſtate erant, ea habemus, quæ Dij dederunt: animos qui noſtræ mentis ſunt, eoſdem in omni fortuna geſſimus, gerimusq;; neq; eos ſecundæ res extulerunt, nec aduerſæ minuerunt. Hoc ſi Niobe feciſſe potuerit, ut nec ſecundis rebus efferretur, neq; deprimeretur aduerſis; nunquam in ea fata incidiſſet, quæ nunc de ſe* Νιόβης πάθη, *tritum ſermone prouerbium fecerunt, uſurpatum à Græcis in eos, qui malorum omnium maxima, atque extrema patiuntur.*

Quanto igitur præclarius M. ille Regulus, quem Cicero, nec In paras *ærunnoſum, nec infælicem, nec miſerum unquam putauit?* do. *Non enim, inquit, magnitudo animi eius cruciabatur à Pænis, non grauitas, non fides, non conſtantia, non ulla uirtus, non denique* animus ipſe, *qui tot uirtutum præſidio munitus, tantoq; comitatu uirtutis ſeptus, cum corpus eius caperetur, capi certè*

ipſe non potuit. Sed eſt'ne hic aliquid quod ad phyſicos etiam pertinet? ut prætercam, quæ tu eleganter, & paucis de principiis rerum ſcripſiſti, illud eſt meum de anima ut in corpore, quod organicum uocant: quam rem ſic tracto tamen, ut animæ uires, ac potentias pro ſexus, ætatiſq; ratione uarias eſſe monſtrem. Sed eo concludo modo, quo in libro primo de diuinatione, iacere corpus dormientis, ut mortui, Cicero dixit, uigere autem & uiuere animum. uel ut melius paulo poſt, Rarum eſſe quoddam genus affirmauerit eorum, qui ſe à corpore auocent, & ad diuinarum rerum cognitiones cura omni, ſtudioq; rapiantur. quo in numero ponimus nos Apoſtolum Paulum: qui raptus in tertium cœlum, cernenſq; beatam illam uiſionem, ὅτι ἐν σώματι inquit ὅτι ἐκτὸς τοῦ σώματος, οὐκ οἶδα. Qui ſenſus ænigmatis anagogicus à me fit. nam iſte alter ad Epitaphium tuum, metaphyſicus eſt de anima, non iam in corpore, ut prius expoſui, ſed ſine corpore, per ſeipſam exiſtente in ſua Idea; quæ ſublimis, & alta eſt, ſupraq; naturam conſtituta diſquiſitio. quam dum orno, mihi uideor tranſiluiſſe metas epiſtolæ. Sed ut à ſermone tui præſentis difficulter abſtractus ſum Turri, ſic cum ad abſentem nunc ſcribo, non facile me abſtineo. Totam cauſam, quæ ſit, uides, quoq; modo ego à Mario, teq̀ue ipſo amico meo diſſentiam, ea ſolum ratione, quòd me ad Naturam hominis interpretandam uerba ipſa adducerent. Cumq̀ue omnis coniectura, in qua nititur ænigma, ingeniis hominum in multas ac diuerſas, aut etiam contrarias partes ſæpe deducitur: quis tam iniquus erit iudex, ut ſi mihi ipſe conſtans, conſentienſq; ſum, à cæteris diſſentire non ferat? quis ſi mei ſimilis, non huc, nec illuc opinionibus abducor, ſed ex ipſa re, & uerborum ui (quod in difficilibus facere neceſſe eſt) quo me tuear, inuenio, pertinacem propterea rerum indagatorem uocabit? Quod non eò dico, quò mihi tua fides in dubium ueniat, aut beneuolentia Turri; ſed cùm Ricardo Shelleio contubernali meo, adoleſcenti nobili, atque docto tuas literas legiſſem, ueniſſemq; ad eum locum, in quo nominis interpretationem dicis hominibus otioſis, & pertinacibus eſſe relinquendam, Iocòne, inquit ille, an ita ſentiens ſcripſit? Tum ego ſubridens,

Quo-

Quoniam hactenus de ſingulis utrunque reſpondi, & ioco inquã, ſcripſit, ne uideretur nouam amicitiam lædere, & ita ſentiens tamen, quòd multos id ſentire uelle iudicaret.

Quibus omnibus mea cauſa, idquè extra iocum Turri, oppones ea, quæ Philoſophorum non Princeps, ſed ipſe Deus Plato (ut Cicero appellat) in ſuo Cratylo copioſè diſputauit. Si contra urgebunt Ariſtotelicum illud, Eſſe quidem nomina ex libero hominum arbitrio rebus impoſita: quanquam par auctoritas doctoris; atque auditoris eſſe non debet: quia tamen noſtrum non erit hoc, ſed aliorum iudicium, eleganter tu, ut F. Robortellus uir ingenio excellens, & cum primis doctus nuper in ſcholis, ſummos Philoſophos reconciliabis, καὶ φύσει μὲν dices hactenus eſſe nomina, quatenus aliquid naturæ ipſius rei proprium exprimunt: θέσει δὲ, & arbitratu libero, quatenus ſic, aut aliter expreſſa, ac prolata ſunt.

Sed de hominum, inquis nunc tu, non de rerum nominibus nos loquimur. Ego uero utrunque Turri facio, cum te ad Cratylũ Platonis allego. ubi ille, Λητὼ à manſuetudine, inquit, dicitur, quia ſit ἐθελήμων. quod eſt. prompta, expoſita, & lubens ad id, quod quiſquè petit, exhibendum. Si ergo nulla ex re alia didiciſſemus, quantùm eſſet intolerabilis, atquè execranda Niobes ſuperbia, tamen id intelligere potuimus ex eo, quòd tam benignam, & mitem Deam, aduerſariam ſibi conſtituiſſet. Aelia Lælia &c. Lucius Agatho &c.

Veruntamen tu quidem, urges adbuc, Nomina ficta hic eſſe, rebuſq; quæ nulla ſunt accommodata, ipſorum lubito, qui hæc ſcripſerunt: idq; fortè temerè, caſu; cum nihil tale, ne ſomniauerint quidem. primum, qui hoc ſcis? deinde, ſi te ſcire conceſſero, quod nunquam faciam. attamen ut de oſtentis Cicero dixit, cum facta ſunt, tum ad coniecturam aliqua interpretatione reuocari. nec tam mirabilia eſſe, quàm coniecta bellè, quæ fortuitò accidere potuerunt: ſic noſtram hanc, quam defendimus animæ ideam, *potero dicere illuſtratam eſſe nomine clariſſimorum hominum, uirorumq; Romæ fortiſſimorum.* Aeliam *enim uocari. à cuius luce, ac ſplendore, qui eam ſepelit,* Lucius *dicitur, eſtq; homo in oculis ciuium, Req; publica conuerſans. ut* Agatho *idē* lib. 2. de diuinat.

nominatur à Lælia. ſingula nempe ſingulis reſpondere, tu ipſe
dicis. cum igitur Læliũ in libro de amicitia ita Cicero laudauit, ut
perfectũ amicũ iam Læliũ exiſtimemus eſſe nominandũ; præterquã
qđ nobiſcũ anima inuiolabili lege amicitiæ cõiuncta ſit, Lælia nũc
dicitur, qđ amici nobis (inquit Ariſtoteles) ſint ij, qui ideas intro-
duxerunt. quas hoc colore reiecit: Quia piũ, inquit, eſt amicis anti-
quiorem habere ueritatem. quã pietatem Ariſtotelis, bonitatẽq;
Agatho, in ideæ ſepultura imitatus eſt, ut ex eo nomen Aga-
thonis, & uiri boni conſecutus eſſe uideatur. ut Priſcii, a Cri-
ſpi. quaſi quis apud ueteres criſpis, & criſpus, ut hilaris, & hila-
rus diceretur. id quod uidetur Marius ſignificare, cum nihil dubi-
tans Læliã criſpim, Pluuiam uibrantem interpretatur. ſed
hoc totum iudicet Priſcianus. Mihi ſatis hoc loco ſit aſſerere, ut
ſi fortè temerè, caſu, nomen aliquod impoſitum eſt, quod ex poſt-
facto, ut nos loquimur, re aliquid notabili, ratum habitũ ſit; non id
propterea, quòd caſu datum initiò fuit, ex illa re poſt euenien-
te commodiorem, atq; ampliorem uocis interpretationem accipe-
re non debeat. Etenim Accurſium legimus iam ætate prouectum
glo. con ditio l. facta. §. si dand. æ ff. ad Sen. Treb. — ad iuris ſtudia ſe applicuiſſe. ac fuit credo, dictus Accurſius tum,
cum eſſet puer, cumq; adoleſcens; attamen ſe dicit ipſe Accurſium
idcirco uocari, qđ contra iuris ciuilis tenebras accurreret. Reſtat
ut quia ficta ſunt, non debeant eſſe interpretata. quin ego totum
contrarium ſentio; in his quæ finguntur ingenio atq; arte, nihil ni-
ſi ex intelligentia nominum ſciri poſſe. Tu mihi metamorphoſus
Ouidij, illãq; fabularum ἐνέργειαν, quaſiq; quãdam rerum colliga-
tionem, & hominum cognationem ſine Græcarum literarum ſcien-
tia rectè unquam explicabis? Quarũ certè adiumento Budæus, a-
cri uir ingenio, & ſumma doctrina, Th. Mori noſtri Vtopiam, ex-
cogitatam illam quidem tam ingenioſe, atque acute Rempub.
ut fallacia noui orbis hiſtoriæ prudentiſſimos, uel ut de ipſa cogi-
tando errarent, uel ut minus rectè ſentirent effecerat, tam penitus
introſpexit, ut ex ui nominum, & interpretatione, quaſi in ip-
ſius auctoris mentẽ indutus, inſulam eſt auſus, non ut Morus Vto-
piam, ſed mutato ſine ſcelere nomine Eutopiam appellare. quod tu
illum credis nulla re permotum facere uoluiſſe? ſunt mehercule in

nominibus

*nominib. ſecreta quadã, quæ in uulgus efferri, homines docti pro-
phanum iudicant. Epitaphium Criſpum uocat* Aeliam Læliam.
Aenigma Heliam Leliam. *nam ſic aſperè legendũ putat Marius
num exiſtimas ſine cauſa Medialanenſes diphthongum reieciſſe?;
ſi non putas; oſtende cauſam. Eſt inquis, pro ratione uoluntas.
Nõ mihi ſatisfacis Turri: tametſi enim fingentes, quæ uolumus, &
quæ libet, facimus, non tamen abſq; aliqua nos mouente cauſa, &
ratione quicquã facimus, ut hoc, quàm illud potius faciendo, qua-
ſi unum è multis eligere uideamur. P. Hedus Anterotica ſcripſit
eleganter; in ijs Aemylianum inducit amantem Heliam: quæ cum
inter cæteras uideri non poterat, An non eam cernis inquit, quæ
lauro nũc adhæret? ſcitè quidem operis auctor oſtendit, quare fæ-
minam ab Aemyliano amatam uocauerit Heliam. nempe quòd
lauro adhæreret, quæ eſt arbor dicata Apollini, Poetarum fau-
tori & parenti. in quibus numerabatur Quintius hic Aemylianus.
Habes igitur rationem a me Turri ſi non certam, aut ueram,
quæ tamen auctori ſi uiueret, diſplicere ipſi nunquam potuit. Sicut
ergo in Academicis Cicero, cum Zenone Arceſilam ſibi omne* lib. i.
*certamen inſtituiſſe ſcribit, non pertinacia, aut ſtudio uincendi, ſed
ipſarum rerum obſcuritate: ſic aduerſarijs meis, ſi qui erunt Turri,
dices tu quidem me, pertinacem hoc modo eſſe; non aliquo ſtudio
te, uel Bononienſes; neque Marium, aut Patauinos uincendi; ſed ip-
ſius ænigmatis obſcuritate adductũ, uerba tenuiſſe mordicus. quæ
nec ipſe curaſſẽ, ſi res aliter intelligi potuiſſet. ne in linguas incide-* gl. uoca-
rẽ maleuolorũ, et in gloſſas noſtras; quæ pertinacem uocant eũ, qui bula l. fi.
re ſemel intellecta, de uerbis diſputat contentioſè. Nam otioſam C. de cõ
fuiſſe me, cum hæc facerem, uidiſti præſens. quin etiam hæc otioſus ſt. pecu.
*nunc reſcribo, quæ tu cum a iuris ſtudio uacabis, & erit otium, le-
gere potes. ſed non otioſè leges tamen. quia niſi diligenter ſingula
perpendas, quod ego ſentio, uix aſſequeris. Vale Patauij XIII.
Cal. Feb. 1567.*

Ab otio tractus ad negotium hoc cæteris relinquens.

T. D.

Viator auſculta. Tullia Alterocha,
nec a Deo creata, nec genita a Natura, nec orta a ſe,
Initium nuptiis inter duas Sorores faciundis fuit.
Quarum iunior, Vir formoſus pôſt apparuit.
Tunc omnes præ gaudio tripudiare.
Ducenſq; uxorem domum uir
in conuiuio quærit Alterocham.
Hac nuſquam uiſa, Ego Caſſius, Panos amicus,
& aulœdus huc protinus exilui.
In triuio dubitans, qua'nam iuerit uia,
te Viator oro, ſi uideris, redire iube;
nec ad me nec ad conuiuatorem, nec ad te, ſi ſapis.
niſi meliorem fortunam attulerit.
Semper enim aliquid affert noui:
gaudens ruinis, mutanſq; nomina rerum:
ab eis & antequã incæptæ, & cum perfectæ ſunt, abſens.
Idcirco multi illam eſſe, plures non eſſe dicnut;
nonnulli nihil aliqui aliquid uideri,
quòd quæ non ſunt, eſſe: quæ ſunt, non eſſe faciat.
Eam cum nemo deſideret, omnes tamen ſequitur.
Tu, qua opus non habes, ſcire ne labora,
De ipſa, ſi occurit, quid ſentias expecto
Interim in hanc ſyluam, dum redis, me abdo.
Viator, hoc acroama tecum preſſè cogita.
Sic tibi faueat Apollo Mercurius ducat.

FINIS.

Ricardo Vito, Nicolaus Stopius.

SI ſcripta in Nioben, trutina penſabimus æqua,
 Quæ tu VITE refers, optima ſemper erunt;
Et meritò à cunctis laudaberis, omne per æuum,
 Clara, quòd hæc per te ſint modò, Sole magis;
Vnum (pace tua) tamen, haud puto prætereundum,
 Ne careant fructu, Verba decora, ſuo;
Libera, & hic decet, ut ſit diuinatio cuiq;,
 Rebus in obſcuris, lumina multa, iuuant;
Sæpe aliud, quàm Verba ſonant, ſub cortice celant,
 Dicta & facta Patrum, quæ enucleanda manent;
Sint licet obſcura, & dubio Velamine tecta,
 Nos tamen ut doceant, ſic uoluere Pij;
Nam nihili fiunt, quæ hic abſq; labore parantur,
 Quæ ſudore carent, ſunt quoq; chara minus;
Felſina at hæc tenet, ut doceat, præclara; Docendi
 Vrbs, claro ante alias, quæ hoc micat Elogio;
Et quiſquis Nioben finxit, finxit ùe ſepulchrum,
 Ingenio hunc ſummo, nec caruiſſe, docet;
Nos monet hoc Buſtum tacitè, fore ut abſtineamus
 Se quale oſtendit, ſcipta quoq; eſſe notant;
Et quia, in omne hominum genus hoc cadit, ergo ait authors,
 Omnia huic Buſto, nil quoq; ineſſe, ſimul;
Quiſquis enim talis, eſt, ac ſi haud eſſet, habendus,
 Telluris pondus, nam neq; inutilius;
Sunt, numerus tantum, fruges conſumere nati,
 Ah ſibi qui malus eſt, cui bonus eſſe poteſt?
Quid Natura parens, lolium, ſteriles quid auenas,
 Miſces, tam paucis, peſſima multa, bonis?
Sunt (Vtinam haud eſſent) ſine, multa cadauera, in orbe,
 Buſto, & quæ nullum, Buſta, cadauer habent;
At ſibi ſunt (indigna loquor) buſtumq; cadauerq;
 (Immundus fœdum nil mage mundus habet)

An nè putas homines Buſtum ſibi et eſſe Cadauer .
Præſtare ignotum, mutuò & officium ?
Heu tale eſt Buſtum miſerabile , tale Cadauer .
Omnis homo uiuus , qui ratione caret .

Nicolao Stopio Ricardus Vitus.

Qua fuit in Siphylo Niobes ſtatua , illa propinquis
Saxum , longinquis Flentis imago fuit .
Magnus erat Fictor , ſed maior Scriptor hic illo eſt ,
Plurima qui potuit fallere ſenſa , Stopi .

Errata	*Sic*	*Corrigito.*
reſtè. in uerſib.	*l. 16.*	*rectè.*
fero. in ænigmate	*l. 21.*	*ferro.*
Ampibon.	*f. 2. p. i. l. 9.*	*Amphion.*
iu	*f. 4. p. i. l. 10.*	*in*
ſota	*f. 4. p. i. l. 19.*	*tota.*
enm	*f. 6. p. i. l. 15.*	*eum.*
ucrſa .	*f. 10. p. i. l. antep.*	*uerſa.*
lenioribus .	*f. 12. p. 2. l. 19.*	*lenioribus.*
quôd	*f. 12. p. 2. l. pen.*	*quod.*
Quod cum eo.	*f. 18. p. i. l. 20.*	*Quod cum ſit , eo.*
Deum	*f. 19. p. i. l. 21.*	*De ûm.*
qui.	*f. 20. p. i. l. 27.*	*quê.*